
HARVARD COLLEGE LIBRARY
VE RI TAS
ICELANDIC COLLECTION
FORMED BY KRISTJÁN KRISTJÁNSSON
Given in Memory of
WILLIAM HENRY SCHOFIELD
Professor of Comparative Literature 1906-1920
by his Wife
MARY LYON CHENEY SCHOFIELD
6th April 1931

Einar Fridgeirsson

De

Sermone Tentamen,

composuit

Thorleifus Gudm. Repp,

Bibl. Jurisc. Edinb. Bibl. L. N. F. F. & L. I. B. F.

Annot. Hocce tentamen auctor pro more solemni Universitatis havniensis, cum approbatione Ord. Philos. havniens. subjecit publico examini eruditorum, pro gradu Magisterii Artium obtinendo, defenditque in colloquio publico Die. 8vo Id. Febr. A. 1826, respondente Ornat. Haldoro Einarsen, Juris Studioso Islando.

Havniæ MDCCCXXVI.

Typis Directoris *Jani Hostrup Schult*

Aulæ et Universitatis Typographi.

Specimen hoc inaugurale, dignum censet facultas philosophica Un sitatis havniensis, quod ad honores magisterii Artium auctori le comparandos, disputationi publicæ subjiciatur.

Havniæ Nonis Januar. MDCCCXXVI.

G. W
Decanus fac.

Celsissimo

Regio Principi

Christiano Frederico.

Celsissime

Regie Princeps!

E Britannia reduces tantam Tuam erga nos experti vere Regiam clementiam, antequam ad Britannos revertamur, hoc a Te petimus novum clementiæ documentum, ut hocce opusculum Tuo Nomine decorare permittas; cumque illud eam artem tangat (artem nempe dicendi) quæ præstantissima est omnium artium, & in qua Tu præter ceteras Regias laudes tantopere excellas, Tibi jam per se sacrum videtur opusculum nostrum, etiam si nos sileremus; laurus enim omnis Apollini sacer, nec potest Deus suæ sylvæ vel decerptum folium aspernari. Tibi itaque tribuisse id, quod Tuum est,

illa sit, quæ nobis maneat gloria, & insuper illa, qua Te colimus,

HAVNIÆ
prid. Idus Jan. 1826.

Celsissime Regie Princeps,

Reverentia.

Thorl. Gudm. Repp.

L. S.

Nisi in hoc nostro opusculo plures atque graviores defectus lectorem essent offensuri, quam qui humano cuicunque operi plerumque necessario accidunt, excusationi supersederemus, tuti intra commune humanæ naturæ propugnaculum, mentalium virium infirmitatem, & hebetudinem ingenii lubenter confitentes, imo, ut fieri solet, hoc gloriæ ducentes, quod hujus hebetudinis quidem non, propter nimiam stoliditatem aut vanitatem, ignari, ausi fuerimus ardua aggredi et in difficillima materie nostrarum facultatum excercere tenuitatem. Verum cum longe alia ratione comparata res sit, nostrumque opusculum solito gravioribus defectibus prematur, haud ineptum ducimus paucis monere, id quod tamen doctorum non fugiet sagacitatem, qui defectus ab ipsa rei difficultate sint profecti, qui nostræ magis simplicitati & ignorantiæ sint ascribendi.

Ingressi sumus quandam scientiæ regionem hirsutam, sylvestrem, opacam, arduam, palustrem, omni discriminum & obstaculorum genere persitam, nullis fere signatam vestigiis prætereuntium; magnum enim lumen Monboddonis aliam monstravit viam, quam illam, quam nos quæsivimus, nec ad celsam Herderi metam unquam speravimus ascendere. Herderus gravissimus fuit in monstranda sermonis *humana origine* & intra propositæ quæstionis limites coercitus — præmium enim reportavit Academiæ berolinensis — præter hanc ipsam rem vix quidquam molitus est, & quanquam, ut verum philosophum decet, quicquid summum est et nobilissimum in natura hominis acerrimo oculo perlustretur, tamen eo tendit tota disquisitio, ut sermonis monstret humanam originem, ut hujus summæ artis inventionem hominum ingenio vindicet atque studio. Monboddoni autem hoc peculiare est, quod, ut ita dicam, totum hominem, quatenus homo, i. e. plusquam animal est, a se ipso & per se ipsum formatum existimat, omnino tamen ab impietatis tutus crimine; quanquam enim ipsum hominem haud sermonem tantum invenisse asserit, verum etiam multo labore et studio & exercitio ideas & notiones primum concepisse, imo seipsum artem cogitandi docuisse, tamen, ut par est, facultatem hujus summæ artis, quæ ceterarum omnium artium matrix est, repetit ab auctore totius existentiæ; hoc autem est in Monboddonis philosophia insvetum, quod hoc ipsum, quod ut facultatem modo considerare solemus, ille ut humanæ artis opus considerat, sed tamen vir, ut pauci, academicæ & peripatheticæ doctrinæ peritus, in difiniendo est sagacissimus, in distinguendo maxime acutus, in explanando perspicuus, in illu-

strando copiosus, in refellendo cautionis, vigoris, dignitatis laude æque præstans, in nulla non arte philosophica egregius; quam etiam adeo meritam commendationem a doctissimo Herdero est consecutus; nonnunquam tamen frangit sapientissimi viri fidem mira quædam credulitas & traditiones miraculosas amplectendi festinatio.

Omnes autem, qui nobis saltem sint cogniti, id egerunt, ut hanc quæstionem, de sermonis origine in alterutram partem traherent i. e. aut ut Deo aut ut homini hujus artis inventionem totam tribuerent. Hoc certe valet de iis omnibus, quorum opera huc pertinentia nobis videre contigit, ab ipso *Platone* usque ad *Herderum;* valet de *De la Condemine*, *Rousseau*, *Monboddone*, *Suszmilchio*. *Maupertvinum* autem opusculum modo fragmentum quoddam est, sagacitate quidem plenum, sed doctissimus auctor hanc rem aggressus est uti problema quoddam geometricum, suæ artis morem & demonstrandi rationem servans. Hoc certe fragmentum vix in alterutram partem trahitur.

Respectu pietatis omnino, credo, perinde est, utrum Deum docuisse, an hominem invenisse artem loquendi dicimus. Priorem tamen sententiam Herderus ludibrio habet, imo negat impietate carere; adeo enim multifariam reperit imperfectionem in hujus artis elementis, ut Deo indignum judicet, ejusmodi artem formasse & docuisse. Quæ sane minus tuta est argumentatio. Forte doctissimus auctor etiam polypoda creare, vel ejusmodi aliud infimi ordinis animal, siquem alium adeo vilis creaturæ auctorem potuisset imaginari, Deo indignum censuisset. Præterea quando dicimus Deum quoque loquendi artem creasse, hoc certe de illa sermonis parte intelligendum est, in qua omnia perfectionis semina continentur. Semper enim spectandum, sermonis, uti cujuscunque alius rei, quoddam esse ideale, quoddam etiam materiale; tumque id, quod ideale magis est, a Deo magis immediate profectum asserimus, id vero, quod materiale, mediate tantum ad Deum debere referri, cum hoc formatum sit per intercedens arbitrium hominis. Libera itaque etiam erit illa sententia ab impietate, quæ Deum tuetur humani sermonis auctorem.

Nobis autem in hoc sermonis negotio, illa adeo usitata distinctio inter divina & humana minus apta videbatur. Nos notum illud Schilleri dictum: "Du sollst bey mir in meinem Himmel bleiben," non de poetis tantum intelligendum ducimus, verum de homine in universum, & hoc credimus hominis summum & gravissimum privilegium. Primæ infantiæ omnis nati parentes haud tutores modo sunt, verum etiam fautores, sustentatores. Et siquidem humani generis originem a summo numine repetimus, paternam curam numinis infans inprimis hominum genus adjuvisse et fovisse, imperitum rexisse speciali quadam ratione, eique pericula avertruncasse, asserere haud dubitamus. Equidem hoc vix negant adversarii, sed negant: divinum hoc auxilium nisi per solita naturæ subsidia hominibus impertiri, quæ quidem objectio, etiamsi vera esset, nec potest rebus humanis adimere divini-

tatem, nec obscuram rem illustrare, nec aliud quidquam efficere, quam ulterius quasi removere id quod humanum fugit intellectum. Namque per experientiam humanæ vitæ modo exiguam partem novimus, ejusque formarum modo illam, per quam & in qua nostra vita movetur & agitatur a nativitatis tempore usque ad mortem; & si collectam assumimus experientiam totius humani generis, tum quidem historice novimus, vitæ forma qvalis fuerit per duo circiter annorum millia, quæ enim e remotiore antiquitate hauritur cognitio historica vix est nuncupanda, sed hæc est humani generis experientia per poesin servata atque tradita, ad metaphysicam, quam historiam, propius accedens. Sed tamen per hanc quam jam nominavimus periodum, damus vitæ formam esse historice i. e. per experientiam cognitam, adeo ut sciamus, qualis per hanc ipsam periodum inter Deum atque homines intercesserit relatio, quasque res homo per hanc totam ætatem sua sponte gesserit, quas divino auxilio atque motu incitatus, (quam tamen rem accurate determinare, credo, difficillimum foret) tum tamen id omne humanæ vitæ spatium, quod ultra hujus periodi fines tenditur, quod totam complectitur humani generis infantiam sic, i. e. per experientiam, non est cognitum.

Jam vero hoc tantum, quod sic novimus, *secundum naturam* & *naturæ leges fieri* plerumque arbitramur, quamquam per se patet, quasdam etiam esse naturæ leges, quas humani generis evolutio & formatio sit secuta in ejusdem (humani generis) infantia, quæ nobis non possunt sic esse cognitæ. Et tamen apertum est spontaneam efficaciam hominis non fuisse eo tempore æque manifestam atque nunc est, i. e. *τὸ θεῖον* tum fuit magis manifestum.

Monboddo equidem & Herderus id egerunt, ut per totam materiei disquisitionem divina ab humanis peracute secernerent. Nos cum statim comperiremus, nos hanc distinctionem saepe assequi non posse nostri ingenii lumine, omnino diversam viam sumus ingressi.

Igitur hac plerumque missa quæstione: *divinus* an *humanus* sermo esset, hunc nobis proposuimus contemplandum uti *objectum quoddam physicum* (einen physischen Gegenstand), statuentes in hoc, uti quocunque alio ejusmodi objecto, quod sub temporis schemate manifestatur, quasdam formationis epochas (Bildungs-Epochen), quæ separatim possent considerari; et in hac investigatione identidem respeximus ad quotidianæ experientiæ analogiam, cum intelligeremus, easdem formationis leges in individuis hominum (bey jedem menschlichem Individuo) repeti, secundum quas sermo formatus sit apud totum humanum genus.

Sic secundum nostram rationem considerandi, prima sermonis epocha illa est, in qua nulla comparet literarum distinctio, sed omnis perceptio atque omne pathema inarticulatæ vocis varia modulatione *(accentu)* significatur; hanc enim modulationem vel hodie animadvertimus prius intelligi a matribus & nutricibus, quam aliquam literarum distinctionem. Hanc itaque vocamus *accentus epocham*. In hoc

quidem præcedentium scriptorum plane deseruimus auctoritatem, cum neminem sciamus hanc accentui vim tribuisse; hoc tamen sic habere, nos pro certo comperisse existimamus.

Consciæ & claræ perceptionis, sed maxime sensualis *secunda epocha est*, & hanc, cum aptius non occurrat nomen, poeticam dicimus.

Tertia illa epocha est, in qua homo totam sermonis vim perspexit, & omnes fere suas res sermonis moderamini committit, & per sermonem plurima gerit. Hanc voco *oratoriam epocham*. Hoc sermonis, quatenus per se consideratur, summum fastigium est.

Scientia autem, ut ita dicam, quandam inducit sermonis *regenerationem* & novas formationis leges. Hanc autem sermonis formam in suo adhuc rudimento versari credidimus.

Nec nostra quidem disquisitio aliam quam rudimenti gloriam sectatur; quod si tale non spernendum præstitisse videbimur, hæc sane larga erit studii compensatio, cum præterea ipsa rei contemplatio non caruisset sua jucunditate.

Circa latinitatem monendum est, quod nos ejus respectu eadem libertate usi sumus, quam a ceteris omnibus serioris ævi auctoribus adhibitam esse in philosophicis disquisitionibus animadvertimus, obscuritatis multo magis timentes, quam pravæ latinitatis culpam. Voces itaque *sensatio*, *passio*, *individuum*, *organizatio*, & ejusmodi varias multis in locis adhibere nulla fuit religio, cum illas a præstantissimis serioris ævi scriptoribus usurpatas comperiremus. Ipse Spinoza, latini sane sermonis peritissimus, ejusmodi voces veritus non est, & quicunque serioribus temporibus latine quidquam commentatus est, eadem usus est libertate. Nos itaque hac in re nil nobis sumsimus proprium, sed communi quadam usi sumus indulgentia, offensam quidem non suspicati, ubi necessitati morem gerere videbamur.

Caput I.

De elementis sermonis.

§. 1.

Vocem lingva sumimus & sensu *lato* atque *improprio*, & sensu *stricto* atque *proprio*. Stricto enim sensu lingva denotat humanæ vocis usum, quo mortales ideas, notiones, sensationes inter se communicant, quo — ut ita dicam — intellectuale omne peragitur commercium inter homines. Improprio autem sensu deprehendimus vocis, *lingva*, multo latiorem significatum; hunc enim considerantes definimus lingvam simpliciter *per omne commercium idearum & sensationum, qvod fit mediante voce*, adeo ut *bestiarum quandam lingvam* etiam agnoscamus.*)

Annot. In philosophica qvacunque disquisitione, necessarium omnino est, quamcunque ideam contemplari, non solum uti apparet intra suos strictissimos limites, verum & totam illius sphæram & ditionem perlustrare debemus, namque hoc pacto illius originem, & quasi generationem & veram vim melius comprehendimus; & cum omnis idea ad aliquod genus referatur, necessarium quoque est, illud genus cognoscere. Jam in hac, quam nos proposuimus, re, apertum est, quod hocce notionum & sensationum commercium per vocem, haud exclusive ad homines pertinet, verum & hujus rei quoddam velut rudimentum natura etiam dedit ceteris animalibus. Tale est, ex. gr. philomelæ planctus, ferarumque rugitus, quo se in sylvis convocant velut ad concionem, tale, variæ vocis modulationes, quibus aves & quadrupedes varia animi pathemata significant. Consideranda etiam hic ipsius vocis lingvæ etymologia, nam ex etymologia vocum persæpe verus earundem significatus eruitur. Jam vero *lingva*, *γλῶττα*, *Tunga*, *Tungemaal*, — istæ, inqvam, omnes denominationes manifesto indigitant, hujus notionis nomen ab organi nomine esse desumtum, quod inde sine dubio factum est, quod antiquis fuit persvasum, cuicunque animali inesset organum sermonis, ei etiam inesse aliquem illius usum. Verum ne hoc quidem satis est, sed videmus & lingvæ sphæram adhuc latius patentem, nam uti *sermonis genus proximum est vox, sic in omni voce deprehendimus etiam rudimentum quoddam sermonis*, adeo ut tonitruum & proruentium fluminum, imo et corruentium saxorum quædam lingva sit, nam ejusmodi fere sonitibus violentior quæcun-

*) Confer. Herderum Init. Libr. de orig. ling. & Monbodd. passim.

que naturæ commotio animantibus & cuique audienti & percipienti significari solet. Hi quoque soni vario modo hominum mentes afficiunt; nonnullis enim homines lætantur — uti rivuli susurru — aliis contristantur — uti campanæ per regularia, sed longiora intervalla repetita pulsatione — aliis alio modo afficiuntur, quidam enim terrorem, alii iram excitant. Adeo his sonitibus, quadam ex parte, fit commercium notionum & sensationum, naturam inter atque homines. Quanquam enim soliti sumus in quotidiano sermone naturam considerare uti magnam qvandam massam materiæ, mechanicis legibus, ex creationis necessitate, non sua sponte, obedientem, non est ea philosophica illius contemplatio. Philosophus enim naturam contemplatur totam uti magnum quoddam *vivens*, *agens* & *patiens*, cui omnia contingunt, quæ viventibus solent contingere, cui vitales insunt spiritus & motiones, quod violentis quibusdam affectionibus morbosis est obnoxium. Et talimodo sonos in universum observans uti *potens quoddam medium communicationis* in tota natura, statuit, generice loquens, omnem sonum esse quendam sermonem, quo magni naturæ organismi affectiones declarantur, mortalibusque & ceteris animalibus communicantur:

There is a lesson in the rolling wave,
And mighty warning in the thunders roar.

§. 2.

Quidam volunt vel latius sumere significationem vocis *lingva*, animadvertentes etiam commercium idearum quandoque signis & gestibus fieri, quam nonnulli *mutam lingvam*, sive loquelam, sive sermonem vocavere; hic autem vocis sensus maxime *improprius* est, nam ipsius notionis negationem in se continet. Neque lingva recte vocantur illa signa, quibus muti & surdi utuntur, lingvæ vice, quamvis vel articulatam & literalem lingvam iisdem expriment; hæc autem signa tantum sunt lingvæ, illius loco substituta ad notiones exprimendas. Lingva autem omnino intra soni sive vocis limites qværanda est.

§. 3.

Lingva humana etiam sermo sæpe vocatur. Sermo autem est vel in certa membra divisus, distinctisque literis enunciatus: *articulatus*, vel non sic divisus: *inarticulatus*. Excultior hominum lingva articulata est maxima ex parte; rudior, uti infantum, non est (videl. articulata); & bestialis omnis *lingva est inarticulata*.

Annot. Articulatæ lingvæ imitatio, qvam nonnullas aves, uti corvos & cornices & alias docere solent, sermo quidem non est, sed tantummodo est imitatio sermonis, nam idearum communicationem non habet pro scopo, nec ipsa quidem vocis articulatio recte avi tribuitur, cum haud sine multa difficultate adipiscatur imperfectam quandam articulationis imitationem, quæ tamen semper ab ipsius natura maxime videtur aliena.

§. 4.

Articulatus sermo haud tantum consistit, ut multi autumant, in vocalibus literis & consonantibus, verum & solis vocalibus effici potest, quanquam hæc imperfectior est articulatio, namque vox *eao* articulata quidem est vox, & vox *aaa* quoque articulata foret rite pronunciata, unde apparet vocis articulationem simplicem effici tantum per divisionem vocis, & thesin spiritus. Multo autem perfectior illa est articulatio, quæ fit vocalium & consonantium varietate, multis modis nexa atque complicata.

§. 5.

Vocalis litera est sonus, qui e pulmonibus propellitur sine ullo adjecto obstaculo, & vocalium varietas tantum efficitur per angustationem & rotunditatem variam canalis, per quam vox emittitur. Qvi canalis si in uno fere momento, sub continuata, & non divisa, vocis propulsione angustatur, formatur *diphthongus*, ut *ai*, *ei*, *oi* &c.

Annot. Sed angustus jam vocis canalis haud adeo subito dilatari potest, ut latus angustari; nempe rapidior est a dilatatione ad angustationem transitio, quam vice versa ab angustatione ad dilatationem; hinc fit, ut ultima ratione formati soni haud proprie diphthongi vocentur, ut *ia*, *ie*, *iu*.

§. 6.

Membrum quodcunque separatum sermonis, sive quod inter duas vocis divisiones interest, vocatur *syllaba;* hoc etiam per accidens nonnunquam *verbum* est, sive vox *sensu strictissimo;* nam monosyllabicæ quoque voces sunt.

§. 7.

In bestiarum voce una eademque syllaba*) plerumque semper recurrit, uti in ovium, syllabæ *bæ* & *mæ* semper repetuntur, in canum latratu *wo*, *wo*, in boum mugitu *mo* &c. Hæc autem simplex syllaba ejusmodi est, ut animalis totum characterem omnino exprimat, ejusque sentiendi & vivendi rationem.

Annot. Hoc attente considerandum est: ovis tota lingva in syllabis *bæ* & *mæ* tantum consistit, bovis in syllaba *mo* vel *mu*, canis in syllaba *wo*, & tamen hæc animalia eandem fere varietatem sensationum his syllabis exprimunt, uti terrorem, desiderium pullorum, escæ, & quæcunque ejusmodi sunt. Sed psychicæ constitutionis diversitas, & præterea diversitas organorum loqvelæ efficit, ut bos syllaba *mo* utatur, ovis autem syllaba *bæ* vel *mæ*. In avium lingva multo maior diversitas apparet, quamvis non in syllabarum distinctione, sed in multifaria varietate accentus (de quo post dicendum), & in modulatione tonorum, quod et apprime videtur cum avis ratione sentiendi con-

*) Equidem quanquam in variorum animalium vocibus ejusmodi syllabas distinguamus, tamen non vocamus ejusmodi sonitum articulatum, quod ea de causa monemus, necui ea, quæ hic dicuntur, repugnare videantur contra præc. §§os.

gruere. Talis foret admodum profunda physiologiæ cognitio, quæ explicaret, qualimodo quæcunque animi commotio afficeret organa loqvelæ, & sic determinaret, quinam esset cujuscunque affectionis sonus originarius & fundamentalis; quendam enim talem esse vix possumus dubitare. Per similem physiologiam liceret in simpliciore vitæ forma brutorum animalium determinare, quænam esset in tali vel tali animali prædominans mentis affectio; hujus enim sonus fundamentalis & originarius foret is, qui apparet in animalis mugitu vel vociferatione.

§. 8.

Inculti hominis & infantis lingva paucis tantum syllabis constat, sed cum hominum sensationes magis variæ sint, quam ullius animalis, & organorum aptitudo multo perfectior, deprehendimus vel in maxime rudi lingua hominum majorem varietatem, quam in ullius alius animalis voce.

§. 9.

In hominum lingva certæ quædam syllabæ sunt, quæ certas animi affectiones indicant, quorum elementum duplex est; partim ipsa subjectiva affectio, quæ naturaliter talem sonum elicit, partim constitutio objecti, quod homo voce qvasi depingere conatur. Haud tamen in omni ejusmodi syllaba utrumque hoc elementum simul prodit, sed in nonnullis tantum hoc, in aliis tantum illud. In voce *Kukuk*, quæ in multis & quidem diversissimis lingvis occurrit, vix deprehendimus nisi onomatopoeticam imitationem objecti, adeo hæc vox omnino ex imitatione objecti formata est; at in interjectione *ai*, quæ plerumque dolorem vehementem exprimit, modo comperimus vocem veluti ab ipso dolore creatam per involuntariam fere atque spasmodicam contractionem organorum loqvelæ.

Annot. Multi existimarunt, omnis lingvæ elementa tantum esse onomatopoesin, quorum opinionem Adelung maxime sequi videtur, qui sane vehementer errant; nam præter onomatopoesin, quæ omnino objectiva est, subjectivum aliud est lingvæ elementum in illis vocibus, quæ ad violentiora pathemata tam animi quam corporis exprimenda adhibentur, manifestum, qvale est *oh! uh!* perterritorum, *ah!* mirantium & quæcunque ex ejusmodi interjectionibus voces formantur. Sed cum in universum verum sit, vitam primitivi hominum generis magis fuisse objectivam, hoc etiam in lingvæ formatione confirmari cupiunt, non reputantes lingvam omnino formari non posse, nisi & subjectiva vita hominis admodum sit efformata.

§. 10.

Hæ quidem syllabæ omnino considerandæ sunt uti elementa omnis lingvæ, vel uti lingva primitiva hominum, & hæ sane magna ex parte manent immutatæ etiam in lingvis recentioribus & derivatis, verum & persæpe mutantur & corrumpuntur adeo, ut naturalis lingvæ sonos proprios in com-

pluribus lingvis agnoscere difficillimum sit. Illæ certe voces, quæ affectus vehementissimos indicant, huc debent referri, & illæ plerumque ex originaria quacunque lingva servatæ sunt.

§. 11.

Primitiva autem hæc lingva haud tantum elemento duplex (§. 9), verum & alia ratione diversa; nam primo loco quædam est in hominum organis diversitas, adeo, ut quædam gentes nonnullos literarum sonus facilius & magis naturaliter exprimant, qvam alios. Exemplo sint Arabes & semiticæ gentes, quæ multifarios sonos gutturales exprimunt, quos pleræque gentes Europæ haud sine multa difficultate assequuntur. In insulis Oceani Indici nonnullæ gentes literam *l*, aliæ literam *k* exprimere non possunt; & hoc sane varium est pro organorum varietate. Secundo loco: objecta etiam diversissima sunt in diversis regionibus, & homo certe id aptissime exprimit in sua lingva, quod quotidie illius oculis obversatur. Ita si ponimus duas gentes primitivas, atque unam in Ægypto, alteram in Islandia collocamus, utramque vero a principio lingvam sibi formare imaginamus, necessario erunt istæ lingvæ diversæ, qvamvis eatenus, ut verisimile est, congruunt, quatenus & naturæ objecta in his locis similia sunt & simili apparent modo, & loqvelæ organa apud utramque gentem simili ratione sunt constituta.

§. 12.

Qvæ hactenus consideravimus apertum est spontanea non esse, nec hominis arbitrio subjecta; hæc autem physica omnino momenta sunt ad lingvæ formationem concurrentia, quæ ab illis, qui autumant, lingvam formari ex consensu hominum, quo velut stipulentur, ut tales soni talia significent, satis perpensa non sunt, nec ab ipso quidem Platone in Cratylo, qua par erat, diligentia tractata. Spontanea momenta, quæ contribuunt ad formationem lingvæ, postea considerabuntur.

§. 13.

Ad lingvæ syllabas originarias sive radicales rite definiendas & describendas requireretur anatomiæ & physiologiæ profundior cognitio; nempe scire deberemus, quo & qvali pathemate quicunque nervus afficeretur, qui aliquod loqvelæ organon commoveret; nam hoc pacto tantum certiores fieri possumus de radicalium syllabarum vero significatu. Externorum phænomenorum observatio hanc ad rem nec satis certa nec sufficiens est, nec omnino prodesse potest, nisi instituatur apud incultum hominum genus, quod animi affectiones dissimulare non didicit, & quamcunque *passionem* sic exprimit voce, uti affectus infracta vis postulat. Necessarium quoque foret, eos, apud qvos hæc fieret observatio, recentiorum lingvarum esse ignaros, cum in his naturalis usus literarum plerumque in desvetudinem abierit. Sed cum hoc vix unquam possit contingere, non potest nisi per anatomiam & physiologiam omnino recuperari hæc cog-

nitio. Generalia tamen nonnulla patent, uti: sermonem omnem, qvi violentos affectus exprimit in lingva primitiva, maxime effici vocalibus literis cum spiritu; sic gravi animi dolore afflicti *áh!* magis naturaliter proferunt quam *alas;* si talibus vocibus adjiciuntur consonantes, illæ plerumque guttarales sunt, quæ tum formantur, uti videtur, quadam spasmodica contractione organorum in faucibus, quod in voce *ach* observamus. Porro: sonans quodcunque objectum plerumque exprimi per imitationem soni, quod in voce tonitru observavit Adelung in permultis lingvis, & omnino in hac classe objectorum onomatopoeticæ investigationes maxime sunt frugiferæ; reputandum tamen, si in sonanti objecto ulla est magis prominens & sensibus obvia proprietas, quam sonus, denominationem non e sono fieri, sed ex hac ipsa qualitate. Sic vix in ulla lingva inveniemus equo inditum nomen ab hinnitu, nec cani a latratu, sed certe bovi a mugitu. Crassum quodcunque objectum materiale, crassis & duris literis depingitur, cujus varia licet in Cratylo exempla colligere, tenuia autem & lepida tenellis. In hac tamen classe, quam prioribus, originariæ lingvæ usus multo minus servatus est in derivatis & recentioribus lingvis.

§. 14.

Qvid igitur de primitiva lingva censendum? Quænam est? Qvalis est? Num in illis, quæ nobis sunt cognitæ, qværenda est? Vel, num omnino est? Hæc, credo, ex illis, quæ jam, partim e certis, partim e probabilibus sunt disputata, haud inepte dijudicabuntur; animadvertimus enim jam primitivæ lingvæ momenta qualia sint, nempe: *naturales soni, qvos affectus eliciunt*, *onomatopoeseis e sono* & *onomatopoeseis e formis objectorum*, qvam plasticam licet onomatopoesin appellare. Jam vero his vel ejusmodi momentis, solis & singulis, ullam lingvam formari, vel formatam esse, nulla experientia, nec probabili quidem conjectura, confirmatur; nam vitæ modi — subjectivus & objectivus, passivus & activus haud ita separati in re deprehenduntur, uti possunt imaginando concipi, nec ulla fuit humanæ vitæ periodus omnino objectiva, non magis, quam nunc humana vita ex omni parte subjectiva est, aut ullo posthac tempore omnino subjectiva futura; ita nec lingva fuit tali objectivæ vitæ exclusive adaptata, sed primis temporibus ut vitæ ita & lingvæ character in universum talis fuit; sed a primis inde temporibus hominum ingenium & arbitrium suas exseruere vires etiam in lingvæ formatione, qvamvis ab initio minus quam postea. Adde, quod in ipsis lingvæ rudimentis, uti §. 11 observavimus, differentia multa est, secundum objecta, inprimis sonantia, unde tuto colligimus, *nullam sane esse lingvam primitivam in concreto*, sed quædam esse lingvæ momenta physica, uti jam monstravimus, quorum certe, ut par est, in antiquissimis lingvis vestigia exstent plura & magis manifesta; hæc tamen momenta physica nunquam omnino absunt in ullius lingvæ formatione, verum quamlibet lingvam seqvuntur per temporum decursum in continuata illius formatione, qvamvis vel aliorum momentorum præponderans sit effectus.

§. 15.

Male etiam illi distingvunt, qui *naturalem* linguam distinguunt ab artificiali,*) quasi ulla esset talis discreta distinctio. Vires certe naturæ cum hominum ingenio concurrunt in omni momento & ubique ad lingvam formandam. Confitendum tamen, quod idem observat auctor, quatenus homo cum aliis hominibus congreditur, quorum lingva illi omnino ignota est, naturalibus maxime utitur lingvæ momentis ad notiones & sensationes utrinque exprimendas, satis gnarus, qvicquid ex hominum ingenio confictum sit, ab extraneis non capi. Lingva itaque *franca*, quæ ad totius hominum generis usum apta foret, physicis tantum momentis esset formanda. Verum apparet, idearum multitudinem & varietatem, quæ per talem exprimi potest, vix illam excedere, quam nonnulla animalia sua voce exprimere possunt.

Caput II.

De momentis physicis atque moralibus, quæ ad sermonis formationem contulerunt.

§. 16.

Hactenus lingvæ, ut ita dicam, physicam materiam contemplati sumus, jam ea, quæ ad illam primum formandam momenta accedunt, considerabimus. Horum vero momentorum quædam pertinent ad hominis vitam in universum, atque in cujuscunque lingvæ formatione deprehenduntur. Talia sunt *accentus*, *rhythmus*, *musica* & *poesis*. Qvædam vero ad excultiorem vitam omnino pertinent, qvalia sunt ars oratoria, religio & morum efformatio, scientia, divisio gentium in tribus & classes, et differentia dignitatum, & ejusmodi varia ad politicam spectantia. Duos itaque velut ordines momentorum nacti sumus ad considerandum.

§. 17.

Accentus itaque primo loco tractandus, & qvali modo lingvam formet, spectandum. Sed cum circa accentus naturam multa existat dubitatio & vocis sensus vix unqvam satis religiose definitus sit, necessarium omnino est, & hanc rem paucis proponere.

Græci fuere primi & fere soli, qvi accentuum diversitatem signis distingvere instituerent, quæ qvidem signa, qvamvis in antiqvioribus libris Græcorum non deprehendantur, nec omnino inventa sint, anteqvam Græcus sermo multum corrumpi coepisset, nihilominus indicant sagacitatem auctorum multam, & ingenium in rebus ad lingvæ philosophiam spectantibus exercitatissimum. Quemadmodum

*) Vide Encyclop. Britann. Artic. Language.

Græcis debetur honos lingvæ propter sonum, harmoniam, elegantiam jucundissimæ, propter varietatem copiosissimæ, ob flexiones perfectissimæ & aptissimæ ad omnes notiones exprimendas, ita etiam confitendum est, Græcos omnia vocis elementa, quæ necessaria simul sunt & pulchre sonantia, maxime convenientibus signis expressisse; & hoc quidem in literali lingva præstiterunt. Sed literalem hanc lingvam, qvam vocalibus & consonis exprimimus, alia comitatur lingva non literalis, nec ullo literali signo satis apte exprimenda, quæ *spiritualis lingva* omnino dici meretur; qvocirca & Rousseau accentum lingvæ animam sive mentem nuncupavit, ut nobis videtur, sat naturaliter, nec omnino figurate illius essentiam describens. Igitnr hoc, qvod, præter literarum discrepantiam, gentem a gente distingvit inter loqvendum, qvod hominem ab homine, qvod nobilem ab ignobili, quod affectuum & sensationum varietatem in eodem homine multis modis manifestat, hoc, inqvam, omne accentui est tribuendum. Hoc, qvod in Italorum lingva adeo est sonorum, qvod in Gallorum adeo politum & — ut ita dicam — læve, qvod in Britannorum adeo abruptum & forte, qvod in aliis qvibusdam lingvis exile adeo & qvandoque somnolentum, *hoc* dico *accentus est.* Audientes Gallos & Brittannos & Celtas simul colloquentes sermonis diversitatem statim animadvertimus, qvamvis horum omnium idiomatum simus ignari, & hoc modo propter accentum fit; & tamen, servato quidem nationis sive gentis accentu, Gallus discrepat a Gallo & Britannus a Britanno, neque hæc vocis & organorum sola diversitas est, sed est diversitas in tono vocem comitante pro hominum charactere, natura, ingenio, educatione varians. Hominem denique a se ipso discrepare hoc respectu animadvertimus pro affectuum & sensationum continua mutatione, & tamen servat suæ gentis & sui characteris constantem accentum. Adeo nationalis, individualis, sive characteristicus & mutabilis accentus est. Itaque hic detegimus qvendam veluti sermonis oceanum, nulla figura delineandum, nec ullo finito signorum numero exprimendum.

Quid igitur est accentus? *Accentus*, dico, *est illa vix definite describenda & innumeris modis varia vocis modulatio*, *quæ omnem lingvam*, *omnem sermonem comitatur*, *quoque id plerumque exprimimus*, *quod lingva literali aut omnino asseqvi non possumus*, *aut aptius sic exprimere speramus.* Hæc sane accentus descriptio cum ipsius nomine qvadrat; accentus enim est id, qvod sermoni velut accinitur.

Hujus autem species quædam est *accentus stricte sic dictus*, quem & *tonum* vocant; hunc accentum *nudum* vocare mihi placeret, quia hic modo sese exserit in syllabis *attollendis* vel *gravius pronuntiandis*, & hæc sane est illa accentus species quem Græci tribus signis distinxerunt; verum de hoc accentu postea amplius suo loco dicetur. Sed in illo, quem prius descripsimus, accentu videntur contineri omnis sermonis perfectionis semina; hic est velut illud fermentum, quod rudem & incultam lingvam suavem & gratam reddit & humanam inconditam vocem quasi in divinam con-

vertit, quocirca haud inepte Poetæ recentiores vocem *accent* *) usurparunt uti sermonis nomen nobilissimum.

Ab altera parte consideratus accentus qvoque universalem quendam sermonem sistit, qvi vere est totius humani generis vernaculus, imo & inter nonnulla animalia (ut quasdam aves) intelligibilis. Ecquis est, qui irati accentum a blandientis haud facile dignoscat, etiam in lingva omnino ignota, qui lætum a lamentabili, superbum ab humili non discernat. Imo & hoc sæpe accentus prodit, utrum homo falsa an vera loquatur, utrum certa vel incerta, utrum partem sermonis supprimat ob timorem, an libere loqvatur. Secreta astutia & malignitas accentu sæpe manifestatur. Sic accentus haud solum, *lingvæ anima* est, uti Rousseau illum recte vocavit, verum & contra *animæ lingva* dici potest. Accentum enim formant & concinnant, quæ homini insunt pathemata, persæpe præter illius voluntatem.

Verum & accentus tempore prius homini infuisse censendus est, quam literalis lingva; literalis nempe lingva est quædam accentus crystallus. Et quidem jam apud infantem multo prius mater discernit accentus quam loqvendi facultatem, ut cibum postulantem, dolore vel frigore afflictum, reqviescere volentem, blandientem, succensum facile intelligat. Imo & in ultimis vitæ momentis post perditum lingvæ literalis usum dignoscuntur accentus. **)

Ceterum, cum accentus tantus & tam multifarius usus sit, tuto concludimus illum ab initio maximum contulisse ad literalem sermonem formandum, idque, ut nobis videtur, hoc pacto:

Postquam literalis lingva usurpari coepit, quamlibet certe vocem, quamlibet syllabam, accentus quidem comitabatur; sed eandem vocem multifarii accentus sequebantur, ut jam apud Sinesenses; literali quidem voce vel verbo certa quædam significabatur notio, aut sensatio, sed accentuum varietate magna caterva affinium notionum & *sensationum* exprimi solebat; has quidem omnes notiones literalibus vocibus exprimere nemo unquam in animum induxit, sed ad majorem lingvæ perspicuitatem & certitudinem sermonis necessarium fuit tales notiones, quæ freqventissime recurrebant, quæque accentu tantum significabantur, etiam stabilibus signis literalibus exprimere; tali modo formata sunt multa præformativa & afformativa & variæ syllabæ radicalibus adjectæ & forte immissæ. Imo & sæpe accentus ipse tale vocis literale additamentum ex parte formaverat, nam, longius protractus in radicali quadam syllaba, novam vocalem literæ interdum addere visus est. Sic illud phænomenon explico, quod in plerisque afformativis lingvarum antiquarum vocales multo magis prævalent quam consonantes, & inter consonantes liquidæ magis quam mutæ. In græca lingva atque latina sane litera *s*, frequentissime occurrit in afformativis syllabis, verum & talis sibilans aspiratio proxime accedit

*) My latest accents hear. Byron.
**) Bene etiam hoc respectu poeta: My latest accents hear.

ad accentus naturam. Crassiores certe consonantes vix in ulla syllaba afformativa invenimus, uti literas *k* vel *g* vel *p* vel *b*.

Et procul dubio loco accentus in processu temporum multæ sunt formatæ etiam separatæ voces ad affines notiones designandas. Sic accentus in omni momento apparuit & præsto fuit ut index literalis lingvæ defectuum, & partim per ipsum monstrata sunt remedia ad illos replendos. Et sane hæc accentus utilitas etiam hodie in omni lingva apparet, & cum accentus sit lingvæ *τὸ θεῖον*, ut par est, propellit eandem & ducit ad perfectionem.

Sinesensium ceterarumque orientalis Asiæ gentium sermo magnum documentum est ad nostram opinionem confirmandam, monosyllabica enim illorum lingva literalium vocum admodum est inops, & hanc ob rem in primo jam formationis stadio consistere censenda est, sed accentuum gaudet immensa varietate, qua literalium vocum & syllabarum defectus compensatur, &, ut docti referunt, apud has gentes accentus veri nominis *accentus* est, non enim omnino capi potest, nisi a musicæ artis peritis, & non affines voces tantum accentu distingvunt, verum & tales, quarum notiones ne minimum quidem cognatæ videntur; & accentus apud has gentes, quamvis omni modo varians, ne sufficit quidem ad sermonem perspicuum reddendnm, sed gestibus innumeris & contorsionibus faciei multifariis, ejus atque lingvæ defectui opitulantur, & quando hæc parum sufficiunt, ductus characteris illius, quæ exprimenda est, vocis, digito monstrant in aere. Sic illi quidem exemplum præbent hominum, quos accentus non induxit ad linguam efformandam, verum hoc peculiari cuidam hebetudini & ignaviæ est ascribendum, quæ in gentibus, voluptatibus tantópere deditis, miranda non est; & quamvis variarum artium mechanicarum mire periti sint, omnia tamen, quæ de illorum vita & moribus sunt cognita, produnt conformationem speciei ceteris humani generis speciebus multis nominibus inferiorem, & mirum quendam defectum propensitatum nobiliorum & facultatum altiorum; adeo ut in illa arte, (arte nempe loquendi) quæ principalium est facultatum foetus, vix amplior sit exspectanda perfectio.

Verum nec hæc quidem sola accentus est præstantia, quod id exprimat, quod literali lingva exprimi parum potest, & tali modo illius defectus monstret, eosque monstrando lingvam efformet, sed & omnis fere sermonis *jucunditas* in accentu est quærenda. Accentu omnino fit, ut & nosmet ipsos & alios lubenter audiamus loqventes. Sine accentu sermo foret similis lectioni rusticorum, qui e libris fere omnino sine accentu solent recitare. Talimodo etiam illi, qui in lingva omnino ignota aliquid recitant, omnino sine accentu recitant, aliter enim fieri non potest, & horum quidem oratio mortuus quidam sermo est nervo & vita carens. Itaque quemadmodum *omne vivificans & vitale* in universum sese monstrat uti aliquid occultum, quod phænomeno subest, sic hoc se etiam habet in sermone; accen-

tus enim in sermone est illud occultum vivificans, quod literali subest sermoni, qui illius est phænomenon. Sed in hoc vitali omnis latet sermonis jucunditas, non auri tantum blandiens, verum & animi facultates, attentionem, memoriam, imaginationem excitans & arripiens, sine qua tædiosum & vere molestum omne foret colloquium. Et denique accentus est illud *principium*, ex quo proficiscitur omnis sermonis organismus, imo & hoc principium in ipso rudimento linguæ jam continet semina omnium facultatum sermonis, quæ postea sese explicant. In accentu rudis lingvæ jacet futura versus harmonia & svavitas solutæ orationis & sententiarum rotunditas; hoc paullatim per accentus rectum usum prodit & formatur.

§. 18.

Secundum toni varietatem & variam protractionem, in quibus sane accentus se monstrat, qui maxime ab initio conferre censendus est ad formationem lingvæ, proximum sane adjumentum est *rhythmus*, qui certe nil aliud est quam motionis continuatio, interjectis quibusdam regularibus intervallis sive *thesibus*. Momenta vero, in quibus motio continuatur & intenditur, *arsis* vocatur. Rhythmus autem est in omni fere motione observabilis, sed inprimis in sonis & motionibus, quas concomitatur sonus. *Vivens omne rhythmicum omnino est*. In maris fluctibus, in venti strepitu, in decurrenti flumine, in magni incendii fragoribus obvius est, quamvis magis vel minus regularis, verum in omnibus, quæ in hominis organismo fiunt, motionibus etiam magis est manifestus. Apparet in pulsu arteriarum, in incessu animalis, in respiratione & omnino in omni humanæ vocis usu, nam respiratione præfinitur vocis continuatio. Respiratio tamen, non negamus, eatenus spontanea est, ut homo possit eandem inhibere aliquantum, atque protrahere vocem; tamen & hujus protractionis arcti sunt limites. Sed solita quædam est & media respirationis duratio, quæ naturalem format rhythmum sermonis. Rhythmi autem eadem est atque accentus differentia pro differentia gentium & hominum & denique pro affectuum gradu et intensitate & qualitate. Sic rhythmus in impetuosi hominis sermone celerior est & magis irregularis, tumque maxime, quando violento aliquo affectu movetur animus, & omnino cuicunque affectui sua est in rhythmo peculiaritas, & siquæ gens aut homo tali vel tali affectu frequentius moveri solet, formatur inde rhythmi character in omni sermone. Britannorum quidem accentus plerumque asper est & acutus & abruptus, sed summa plerumque est in eorum sermone rhythmi regularitas, quod populi fert gravitas & moderatio & severitas in affectibus castigandis & inhibendis. Gallorum vero accentus mellifluus magis est & velut æquo & placido sermonis flumine continuus, rhythmus autem latentior & magis diversus.

Rhythmus vero est *singularum vocum & sententiarum*, quemadmodum & circa accentum eadem recte observatur di-

stinctio, affectus enim sese produnt & in vocibus singulis & in sententiis.

Ceterum inops ab initio literalis lingua singulis fere syllabis omnia animi sensa expressit, tumque voces sane fuerunt integræ sententiæ, vel potius, nulla omnino fuit clara distinctio vocum atque integrarum sententiarum. In hoc statu sermo bestiarum voci propior multo minus quidem in usu fuit, nec nisi urgente quadam necessitate aut periculo aut animi commotione violenta in voce prorupit id, quod animo erat reconditum. Tum sane vix ullus fuit vocis rhythmus, sed accentus quidem semper fuit. Sed ut lingua paullatim per accentum formari, voces & syllabæ & sententiæ ex indiscreta vociferatione distingui, verba & sententiæ prolongari & continuo, sed variato sermone plures simul notiones exprimi coeperunt, tum sane accessit etiam rhythmus, qui variis modis sermoni concinnitatem, amoenitatem, harmoniam, emphasin conciliavit. In monosyllabico illo sermone rhythmus nec locum habere potuit, nec omnino fuit necessarius; quamdiu enim homo solummodo simplicem quandam notionem aut simplex aliquod animi pathema unaquaque voce expressit, quamdiu simplici & uno affectu puerorum more commovebatur atque cogebatur ad loquendum vel potius vociferandum, nulla omnino requirebatur distinctio rhythmica vocis, sed quando affectuum violentia moderari coepit, notiones multiplicitate augeri & variæ & complexæ simul exprimi, tum sane necessarium fiebat rhythmo distingvere, quod incertis temporum intervallis antea per se satis distinctum est. Sinesensium lingva quomodo se habeat, hoc respectu, in doctorum libris non invenimus, nec potest hoc satis diligenter & accurate observari, nisi quis præsentem audiat Sinesensem loquentem; sed ex illis, quæ de hac lingva apparent e commentariis doctorum & monosyllabica linguæ formatione, sine erroris periculo concludimus, illi vix ullum inesse rhythmum, aut saltem multo magis incertum & irregularem, quam in linguis polysyllabicis.

§. 19.

Musica autem ars est — ut mathematicorum voce utar — quædam accentus nova *dignitas*, sive potentia, nam per illam multo apertius magna a parvis, grandia ab exilibus, sublimia a depressis, seria a ludicris, læta a tristibus, violenta a placidis distingvuntur & discernuntur in sensationibus mortalium. Ita dubitari non potest, quin illa maximum contulerit ad lingvæ formationem; potissimum, cum illam vel hodie videamus ad variarum lingvarum formationem maximum conferre, adeo, ut quædam inde peculiarem omnino characterem nanciscantur. Exemplo sit lingva Italorum, quæ elegantiam musicam in omnibus fere formis venatur. Musice quantam vim exerceat in hominis animum, quamque arcte iis sit juncta, quæ in intimo hominis animo sunt recondita, quis non agnoscit? Ecquis non est expertus illam notionum & idearum magnam multitudinem partim gignere, partim excitare. Dubitari itaque non potest, quin illa

lingvam multifarie ditaverit novas idearum expressiones litterales formando. At in formanda & concinnanda lingva vel multo magis effecisse credenda est. Si fabula finxit Orpheum saxa & arbores suis incantationibus commovisse, si Amphionem vel marina monstra mansueta reddidisse, si vel seriori & vix refragabili experientia confirmatum est, delphinos cantu moveri & delectari, & feros animos molliores reddi & placidiores, nos majore adhuc jure rudem & inconditam lingvam musica esse politam & formatam asserimus. Quicquid itaque in literarum compositione durum, quicquid in pronuntiando asperum, quicquid in vocali notionum & sensationum pictura injucundum compertum, per musicen est emollitum, facilius & accuratius redditum. Rudem quandam onomatopoesin homo quidem permature, & omnino jam infans invenisse recte censetur, & quosdam vagitus passiones indicantes ille quidem non invenit, sed tales natura, ut ita dicam, illi expressit; tales autem vagitus procul abfuit, quin sermo aut veri nominis lingua recte possent vocari, sed accedente musica, quæ onomatopoesi ademit illud nimis rude imitativum, quod illi infuit, quæ effecit, ut in formata onomatopoetica voce comperiretur humanitatis & humanæ artis sphragis, quæ violentiores & duriores sonos, qvibus affectus exprimebantur, molliores reddidit & svaviores, perfectior & omnino humanus denique sermo formatus est. Imo per hanc accentus vera vis primum recte comperta est & stabilior reddita. Musice denique hominum corda aperuit, & ad sublimiores multas notiones concipiendas apta reddidit & sic viam stravit poesi, quæ ut statim videbimus omnium maximum effecit ad linguæ formationem.

§. 20.

In poesi primum apparent cunctæ humanæ naturæ facultates mentales conjunctim agentes. Ab initio enim humanitas, forma quidem manifesta, voce vix distingui potuit a natura bestiarum. Brevi tamen & in hac apparuerunt humanitatis quædam semina, ab initio autem latentiora, cum vocis omnis usus potissimum physicam & animalem vitam hominis respiceret, ejusque necessaria, pericula, jucunditates, exprimere & significare pro scopo haberet. Major autem erat & perfectior in homine quam ceteris animalibus aptitudo organorum ad varios sonos exprimendos, & ipsius physicæ vitæ desideria & affectiones plures atque magis variæ. Hinc factum, ut permature etiam in voce apparuerit quoddam propullulans humanitatis germen. Talis jam rudis, sed humana vox, uti præcedentibus §§is monstravimus, *accentu* primum *variata est*, *rhythmo distincta*, *musica polita atque emollita*. Et jam certe notionum & sensationum multum dilatatus campus est, nec amplius mentalis omnis activitas, modo animalis vitæ desideria spectavit, sed excitata jam imaginatio totam naturam curioso, sed vago oculo perlustrabatur, & quamvis ea maxime, quæ sensibus sunt objecta, contemplabatur, tamen & assurgit aliquando & icarios quosdam tentavit volatus in *sphæra insensibilium*. Sic nova

quidem haud pauca objecta sunt ad contemplandum detecta, sed notionum tamen multo magis adhuc auctus numerus est; nam objectum quodlibet novum, tam reale quam ideale, magna quadam caterva stipatum est terrorum, cupiditatum & jucunditatum. Talimodo poeseos elementa jam præsto sunt & in mente & in sermone. Jam vero poesis, illa, quæ jam tractavimus, momenta, accentum, rhythmum, musicam sibi conciliat atque in suum usum convertit, partim & ipsa ex his tribus nata est: verum & hæc quoque ipsa efformat ad majorem perfectionem.

Sed excitatis jam facultatibus mentalibus & ex parte formatis, & aucta cognitione & idearum copia, lingva primum incipit multifariis *ditari vocibus*. Hoc omnino fit mediante poesi, & quemadmodnm correspondens quædam est periodus in individuali vita hominum aptissima ad discendum & cognitionem acquirendam, sic poetica hæc periodus gentium aut humani generis discendi etiam periodus est & notiones multiplicandi. Hæc etiam prima est, cui historia ullam lucem affundat, præcedentes enim, ut rei natura fert, in obscuro fere versantur.

In hac poetica periodo primum deprehendimus Græcos mira vocum copia sese delectantes & novas omni fere momento formantes; & adeo auxerunt vocum numerum & formas, ut succedentes ætates vix dimidiam eorum partem in usum traherent, iis de caussis, quæ postea memorabuntur. In Æschylo certe multo major occurrit vocum copia, quam in Sophocle, & in hoc major & magis varia, quam Euripide. Rhetorum autem florentissima ætas serior est, & horum certe scripta multo minore vocum abundantia & varietate insignia, cum illi, ut deinde videbimus, omnes voces magis de medio sumere cogerentur, ut oratio vulgi captui esset accommodata. Ante Homerum & poetas ionicos sive asiatico-græcos græcam lingvam non adeo fuisse copiosam, uti per illos facta est, tuto ferme concludimus, cum in horum carminibus tantum vocum numerum deprehendamus, quæ in ejus ipsius carminis usum primum videantur inventæ ad illam exprimendam ipsam rem, quæ tum fuit canenda. Videtur & nobiscum facere ipsa vocum significatio; ποιητής enim vocatur is, qui lingvam sic auget, & illud, quod efficit, vocatur ἔπος. Et hæc quidem lingvæ periodus omni nomine poetica etiam in illam incidit, quæ totius vitæ respectu poetica est, in qua omnes vitæ formæ inchoantur & discriminari incipiunt; in qua imperia subito formantur & momento fere funditus delentur, in qua bella frequentissima & migrationes populorum & magnorum exercituum meatus per vastas regiones terrarum. Tantæ rerum vices, tanta novorum objectorum copia non potuit non & notiones multum augere & dilatare, & vocum formare numerum correspondentem immensum.

Latinam lingvam in seriore multo ætate primum cognoscimus, est etiam ipsa lingva novis formandis vocibus multo minus apta quam græca, ut satis notum est. Verum apud Romanos ne lingvæ quidem historiam omnino novi-

mus, priusquam fere sub finem hujus poeticæ periodi, de qua locuti sumus, & tum sane coeperunt *coli illæ artes* (rhetoricam imprimis artem dico) apud Romanos, quæ in *formanda* lingva quam *ditanda* multo sunt efficaciores, imo quæ vocum copiam multo magis restringunt, quam augent. Sed tamen, si Plautum respicimus, animadvertimus illum multo majore abundantem copia vocum, quam ullum seriorem auctorem; & illum multas voces novas introduxisse, ipse & Horatius auctor est, & hoc præterea satis patet, cum partim multæ apud illum de Græco sumtæ, partim lusu fictæ voces occurrant.

Sed apud *septentrionales gentes* vocum imprimis immensa apparet multitudo per poesin formata. Illi enim soli invenerunt quandam novam artem ad voces formandas pro usu poetico — artem, secundum quam liceret in infinitum augere *denominationes* & epitheta poetica (Kénníngar); talimodo liceret, singulorum objectorum ut: fæmínarum, virorum, gladiorum, belli, maris, sangvinis, equorum, navium plusquam myriadem colligere poeticorum nominum ex illorum carminibus.*)

Ceterum lingva haud solum ditata est per poesin, verum & efformata atque concinnata multis modis. Hoc imprimis eo factum est, quod poesis tria illa, quæ prius attulimus, momenta sibi servire coegit, verum & hæc ipsa ad majorem perfectionem perduxit.

Sic in poesi primum rhythmus stabilis factus est & regulari schemate decorus; accentus non ut antea vocem distinxit a voce & syllabam a syllaba tantum, verum & effecit sententiarum discrimen & carminibus colorem velut indidit, cum recitarentur. Musicæ tota energia primum comperta est, quando sublimi vel dulci versui jungebatur. Sic in lingva quæsitæ sunt novæ perfectiones, uti euphonia, dictio grandis & energetica, humilis & ludicra, gravis & seria, quas quidem non dico antea omnino fuisse ignotas, sed tamen vix ullo nomine cognitas, & siquando in hominis sermone apparuere, hoc fiebat præter illius conscientiam, adeo ut istas quærere non posset. Jam versus sese quoque monstrarunt uti novum principium formans, partim novo rhythmo, (alius enim rhythmus hic est, quo versus distingvitur a versu, alius, quo syllaba a syllaba, aut pes a pede) partim *coercendis vocibus intra suos fines*, unde permultæ natæ sunt novæ vocum formæ, illis, quæ antea in usu fuere, aptiores, elegantiores & castigatæ magis. Similiter plasticum quicquid fuit in lingva antea in singulis tantum vocibus apparuerat; jam vero amoeniore & grandiore forma indutum etiam sese monstravit in versibus & sententiis. Denique, cum nullum non vitale momentum lingvæ in poesi appareat, per illam primum cognita est hæc incredibilis sermonis vis ad movendos animos, demulcendos, excitandos, exhilarandos, quæ

*) Hoc septentrionalis *poeseos* quidem nullam laudem aut perfectionem existimamus; sed lingvam hoc modo copiosam esse redditam apertum est & hoc eatenus borealium *sermoni* esse laudi ducendum.

uni alicui soli momento tribui recte non potest, sed horum miræ cuidam conjunctioni.

§. 21.

Poeticam autem hanc periodum, monere fere superfluum est, me ad certam quandam ætatem in universum non referre. Apertum enim est apud hanc gentem & in hac regione terrarum illam effluxisse, dum apud aliam & in alia regione adhuc duravit. Nec tamen unquam aut alicubi sic effluxit, ut nil relictum sit poeticum in mente hominum, aut poeseos vis in lingva formanda omnino exstincta, sed hic de eo loquimur tantum, quod in quacunque ætate prævaluit & eminuit maxime. Poeticam autem periodum hanc possumus magis secundum ceteras vitæ formas circumscribere atque determinare.

Quo tempore igitur gentes maxime in familiis victitabant distinctis, patrisfamilias & seniorum auctoritati subditæ; quando inter seniores paterfamilias ex antiquissima stirpe primum tenuit dignitatis locum, ut inter juniores maximus natu herilis filius, (sed in omnia familiæ membra apud patremfamilias sive archipatrem summum erat dominium, ita tamen, ut in gravioris momenti rebus semper ceterorum seniorum audiret & quæreret consilium, non ulla lege aut necessitate coactus, sed prudenti quadam & salutifera consvetudine, ad optimam rationem agendi detegendam), hoc inqvam tempore poesis imprimis floruit, maxime enim cognata est iis ideis & sensationibus, quæ in tali vita potissimum gignuntur. Animi affectus, ut ita dicam, domestici, amores tam*) sexûs, quam paternus, filialis & fraternus, poeseos præstantissima nutrimenta sunt. E contrario ut formari respl. ut majores civitates condi coeperunt, ut ampliores hominum coetus congregari in curiis, comitiis, exercitibus, *dicendi ars* primum extulit caput, hæc enim altioribus civilibus affectibus alitur, ut ambitione, civilibus discordiis, vitæ periculis tumultuariis, & ab altera parte patriæ amore, boni publici studio, gloriæ amore, ceterisque civilibus virtutibus. Poesis animos movet sæpe vehementius & hominum sublimiores facultates excitat & delectationem sæpe habet pro scopo. Ars dicendi mentem movet & ducit ad persvasionem. Poesis multo majorem fert inæqualitatem dictionis & quidem apte in versu, imprimis in dramatibus, grandia interdum juxta humilia ponuntur, seriis miscentur jocosa, dura mollibus, quod longe aliter habet in dicendo, nam in oratione quæritur variata quædam æqvalitas. Ita dicendi ars omnino ad maturiorem ætatem humani generis pertinet, quam poesis, & alia sequitur, & aliis utitur mediis, & alia ratione lingvam afficit & format ad suum scopum.

§. 22.

Igitur cum oratori semper coram multitudine sit dicendum, multitudo autem omnis diversis gaudeat facultatibus

---

*) Vix necessum est monere, me per sexûs amorem intelligere illam formam amoris, quæ modo in diversitate sexuum cogitari potest, nec tamen hunc esse amorem physicum. Longe enim alia res est.

ad capiendam orationem, illi novum quoddam injungitur munus perspicuitatis, quod poetæ nunquam tanti momenti visum est. Oratio enim, nisi a præsente capiatur, non convincit illum, qui præsens est; sed carmen, quod sua natura aptius in memoria conditur, quamvis obscurius, saepius relectum intelligitur. Et poeta omnino potest sine ullo suo aut carminis damno nonnullos, imo multos parvi facere lectores aut auditores, adeo, ut illi periude sit, utrum ab eis intelligatur, nec ne, orator sæpe nullum potest vilipendere auditorem; unus enim, cui non satis persvaserit, magno interdum illius caussæ detrimento est. Perspicuitas ita evadit fundamentalis quædam virtus in oratione, sine qua is, qui dicit, nugas agit. Hanc ob causam ille cogitur vocibus uti communibus & e medio sumptis; obsoletas rescindit, nimis recentes & usu parum receptas vitat & omni modo obscuras repudiat, nec vocum modo obscuritatem timet, verum & compositionis & sententiarum. Igitur in illa periodo, in qua dicendi ars colitur, inprimis fit, ut antiquæ multæ voces rescindantur in universum, etiam e sermone quotidiano, quæ tamen in carmine, per longum tempus oblivioni traditæ, iterum renascantur. Hoc sic accidisse, in multis quidem lingvis satis observare licet, & Græcæ certe lingvæ historia sat luculentum hujus rei documentum est; Homeri enim & Hesiodi carmina a multitudine Atheniensium vix credam fuisse intellecta, propter antiquitatem dictionis tam in vocibus quam in earum formis ubique recurrentem; sed tamen imprimis in antiqua lingua septentrionalium hæc apparet differentia inter lingvam poeticam & lingvam solutæ orationis. Illa enim vocum multitudo atque denominationum poeticarum, cujus §. 20 mentionem fecimus, vulgo non fuit cognita, nec potuit ea de caussa in soluta oratione & coram concione hominum adhiberi. Etiam sermonis constructio talis fuit in versu, ut sensus saepe sine multo studio ab artis peritissimis erui non posset. Sensum enim, ut ita dicam, sedulo condiderunt in difficili versu, quæ, quam parum orationi conveniat, dictio, cui non apparet?

In universum apparet *dicendi artis* vis negativa atque restrictiva in lingva formanda. Est enim quoque quædam orationis *dignitas*, quæ certe carminis quoque est, sed longe aliter sese habens vocum respectu & compositionis. Carminis dignitas apparet in rhythmo, in sono vocum & versus, & in convenientia dictionis cum re & persona, quam tractat; orationis autem dignitas consistit in casto quodam delectu vocum, ut nulla unquam occurrat, quæ auditorem offendat. Et non turpes solum vitandæ voces sunt atque sententiæ in oratione, verum omnis dictionis ineptia & injucunditas & scurrilitas est fugienda, quocirca oratori non licet, quicquid in buccam venerit, eblaterare, sed omnia hujusmodi rescindere cogitur.

Cumque omnino necessarium sit, auditoris attentionem eo ducere, quo oratori placet, atque totam in illam rem convertere, quam ipse postulat, omnia sibi vitanda existimat, quæ ullo modo possint a proposita re audientis attentionem vel per momentum deflectere. Hinc sono similes & homo-

televtas voces, imprimis rhythmice recurrentes, damnarunt Romani, non quia hic orationis habitus per se aures offendit,*) sed quia omnia, quæ ejusmodi sunt, efficiunt, ut auditor aliud agat, aliud cogitet, quam quod optat orator. Nec pauca, nec vilia rhetoricæ præcepta circa linguam versantur, quæ omnino ex orationis necessitate & commodo nata sunt. Tale est, quicquid de sententiarum forma, habitu, longitudine præscriptum est, ut nec nimis longæ sint, nec nimis abruptæ; ne prolixitate fatigent, ne brevitate dissipent, ne iterando negligentem, ne nimia quadam perspicuitate fastidiosum reddant auditorem. Hinc factum est, ut quæsita sit apta quædam vocum dispositio atque ordo ornatus & tales in initio, tales in medio, tales in fine sententiæ positæ voces sint. Hinc nata svavitas, euphonia, rotunditas tam vocum qvam sententiarum. Hinc totus ille orationis ornatus externus, qui tam ipsius rei caussa ob perspicuitatem, energiam, dignitatem, quam auditoris, ad illum persuadendum, & denique ipsius oratoris, ob artis gloriam, necessarius est visus, originem duxit. Orationis autem ornatus, qui imprimis in concionibus, comitiis, curiis ad maturitatem pervenit, paulatim sese propagavit, suamque vim exseruit in omni hominum sermone, & varia, quæ in concione apte & apposite dicta sunt ab oratore, sæpius sunt repetita in familiari colloquio, & nonnunquam proverbiorum vim adepta coeperunt in hominum ore versari. Tumque ut in hominum coetibus majoribus, majora complectens ambitio nata est, primum cognita est sermonis vera vis, ferro & igne sæpe potentior, & imperandi aliosque ducendi, uti videtur, homini innata cupiditas, summa cum lætitia novum qvasi telum exculti sermonis sive persuasionis nacta est, Itaque coeperunt homines non in coetu tantum ornate loqui & ambitiose, verum & intra privatos parietes & domi, faciliorem sic & humaniorem auctoritatem excercentes in cognatos, liberos, servos & famulos, quam si physicæ potestatis solum auctoritate niterentur. In liberis ciuitatibus etiam quotidianus sermo & familiaris ornatior est.

Omnia artis rhetoricæ præcepta, quæ habitum externum orationis spectant, quæ sane multa sunt atque summi momenti, circa lingvam omnino versantur, sunt autem illa in rhetorum operibus quærenda, & monstrant, quam multifarium, quam magnum momentum dicendi ars habuerit in sermone formando.

§. 23.

Duo quidem momenta sunt, quæ priora quidem sunt tempore, qvam excultior *ars dicendi;* hanc autem memoravimus prius, propter naturalem connexionem, quæ inter illam intercedit atque poesin. Hæc autem momenta sunt: *religio* atque *dignitatum discriminatio in civili vita.* Religionem quidem censemus ab humana vita omnino inseparabilem adeo, ut nulla unquam exstiterit humani generis ætas sine

*) Huic enim omnino adversatur sententia Aristot. Rhet. L. 3. c. 9.

religione. Religionem metaphysice considerantes censemus vix aliud esse, quam sensum vitalem, quatenus hominis vita in Deo est. *In te vivimus, sumus & movemur* summum est religionis symbolum, & hoc sese ita habere homo omnino semper sensit, ita uti animalis vita sentit activitatem & motiones, uti sese cogitare sentit atque spirare. Fuit tamen in prima hominum ætate religiosæ vitæ sensus, quamvis non minus intensus, tamen latentior, antequam contrario *sensu mali* magis manifestus redderetur. Qvamdiu autem mali vix ulla fuit peritia, nec ulli exstitere nisi vagi terrores malorum & incerti, religionis sensus quidem fuit, sed vix ulla vocalis expressio. Sed ut rerum cognitio augeri, ut latentes rerum caussæ agnosci coeperunt atque nomina sunt sortitæ, tum subito religiosa vita *vocalis* fiebat, & nova statim formata lingva est ad illas res exprimendas, quæ ad hanc vitæ formam pertinuere. Et in hoc quidem studio homines compererunt novam quandam immensam sphæram objectorum *non sensibilium*, quam autem vix agnoverunt, quamvis antea non sensibilia objecta haud minus intense senserant. Sed ad tales non sensibiles res exprimendas apertum fuit, sermonem formari non posse secundum easdem leges, atque sermonem objecta sensibilia exprimentem. Illa enim alio modo apparuerunt, egerunt, atque affecerunt mentem, quam hæc. Et onomatopoesin hic ne cogitari quidem posse, per se apparuit. Sic novæ omnino formandæ lingvæ leges natæ sunt per religionem; *nomina nempe & attributa & affectiones objectorum sensibilium in novam hanc sphæram nonsensibilium* sunt *translata* & novam omnino significationem sortita. Et hæc *translatio* non fortuito omnino aut arbitrarie fiebat, sed ex certis legibus humanæ naturæ & variis affectionibus imaginationis. Omnes quidem illas voces, quæ idealia exprimunt, sic esse formatas, nulli quidem dubio obnoxium; nam si nonnullæ voces deprehenduntur, quarum significationem originariam physicam vix possimus certo determinare, quales sunt: θεός, Deus, Gud, hoc inde fit, quod hæ significationes jamdiu oblivioni sunt traditæ & translatæ significationis gravitate velut obrutæ; sed in compluribus potest adhuc monstrari originaria significatio physica. Et sane e religionis usu natam consuetudinem censemus vocibus figuratam significationem subjiciendi, nam e tota sphæra *insensibilium* ea, quæ religionem spectarunt, procul dubio primum voce expressa sunt, adeoque per religionem figuratus sermo in lingvam introductus est. Confirmatur & hoc humani generis historia naturali, nam apud illas gentes, quæ adhuc in puerili quodam statu victitant, vix ulla occurrit vox, ideam aut abstractam notionem exprimens, nisi quæ religionem spectat, & talis semper a sensibilis cujusdam objecti nomine est formata.

§. 24.

Externa quidem objecta primum hominis animum excitant & imaginationi & cogitationi materiem præbent ad operandum, & illa omnino primum, quæ sensibus percipiuntur, tum & illa, quæ sensibus quidem non comperiuntur, sed ta-

men ut externa cogitantur, cujusmodi illa sunt, de quibus præcedenti §. verba fecimus. Tum vero denique, uti apparet, homo in se ipsum, & suam speciem attentionem convertit, illamque rationem considerat, quæ inter ipsum & ceteros intercedit homines. Hinc nascitur *dignitatis sensus*, qui totus *humanus* est, i. e. quantum scimus, humano generi peculiaris.*) Hominum nempe quidam sunt natu majores, quidam viribus magis valentes, formosi, sapientes, quam alii, & hi quidem, ut rei natura fert, in ceteros auctoritatem habent illosque suo arbitrio ducunt. Hujusmodi omnis præstantia atque auctoritas, quæ inde sequitur, hominis *dignitatem* constituit, & hujus sane sensum comperimus etiam apud hominum genus maxime incultum, in omni ætate, omni regione terrarum. Diversis tamen præstantiis dignitas nititur apud homines excultos & barbaros. Apud hos quidem sensibiles & externæ præstantiæ, uti robur corporis, magna statura, formæ venustas, ætas, & quæcunque ejusmodi sunt, apud illos animi dotes egregiæ, prudentia, virtus & artium peritia majorem dignitatem conciliant. Sed in omni ætate & apud omnes gentes omnes præstantiæ simul junctæ in eminenti quodam gradu maximam sane dignitatem conferunt. Per hujus rei sensum homo se ipsum ceterosque metitur dignitatis respectu. Sed hic sensus dignitatis innumeris modis hominem afficit, & sese exprimit, tum per corporis habitum atque gestus varios, cum maxime per vocem, accentum, sermonem, & horum affectiones varias, & sese manifestat tam in illo, cui magna tribuitur auctoritas, quique hujus rei conscius est, quam etiam in illo, qui talem auctoritatem honorat & reveretur: apud hunc saepe curvato, apud illum erecto corpore, quasi staturæ quodam symbolo exprimere conarentur granditatis differentiam, apud hunc submissa & exili voce, apud illum plena & altiore, & præterea in toto sermone & vocum delectu inferioris *subjectivitas*, quantum fieri potest, *negatur*, superioris autem *ponitur*. Hæc omnia adeo sunt naturalia, adeo radicitus cum hominis natura complicata, adeo *humana*, ut illorum vestigia apud incultissimos homines deprehendamus, imo & permature apud infantem. Qvis enim non observavit infantem alia uti modulatione vocis & aliis gestibus, imo omnino alio vultu, si cum majore natu congreditur, imprimis si illi præterea forma augusta inest & vestimentorum aliqua distinctio, aliis, si cum æquali, aut aliquo, in quo nulla talia comparent auctoritatis signa.

Præterea aliæ quædam caussæ sunt, quæ hanc distinctionem dignitatis confirment & suffulciant: auctoritate præditus

*) Vix ullam format exceptionem, quod antiqui etiam apud equos talem quendam sensum sese comperisse crediderunt, propter quem ex. gr. equa nollet asino misceri, nisi abrasa juba, & ad lacum velut speculum perducta amissum honorem sentiens, prius esset domita. Quod si vel plura ejusmodi exempla possunt afferri, imprimis de illis animalibus, quæ quadam utuntur πολιτεία, sive regimine reipl. monstrat hoc forte sensum dignitatis cum ipsis; ut ita dicam, vitæ radicibus esse junctum; in humana tamen vita sola ubique est manifestus.

saepe cum pluribus simul loquitur, saepe in exercitu & concione; hinc nascitur necessitas altius & distinctius loquendi; privatus autem cum paucis plerumque & cognitis loquitur & saepe talia, quorum jactura haud gravis futura sit audientibus. Is vero, qui dignitate præditus inter plures verba facit, vehementius saepe movetur animo & ob rei gravitatem & ob certamen orationis atque nisum persvadendi & fidem faciendi & auctoritatem sustinendi; omnis enim auctoritas semper invidiæ est obnoxia. Hæc certe magnam creant accentus differentiam in procerum & privatorum sermone. Verum paullatim nascitur etiam consvetudo subjectivam personam procerum etiam alia voce exprimendi quam privatorum, & hæc quidem ab ipsis fit proceribus & privatis distinctio communi quodam consensu. Hoc variis fieri solet rationibus. Interdum magni viri dignitatem indicant ipsius subjectivitate pluries ponenda, cum ceterorum simpliciter ponatur; talimodo pluralis numeri secundam personam usurpant pro singulari, quasi sic monstrantes talem unum virum perinde existimari, atque alios multos; interdum ponunt subjectivitatem viri potentis velut absentem, quamvis præsens sit, velut indicantes, talem virum non esse temere propius adeundum a vulgo hominum. Hujus autem rei, prout natura fert, sensus duplex est; ita fit, ut singularis tertia persona adhibeatur in quibusdam lingvis (ut italica) ad dignitatem, in aliis (ut in danica) ad contemptum denotandum; siqvidem distantiæ typus etiam sic accipi potest, quasi nolimus aut recusemus ad humilem conditionem descendere illius, cum quo loquimur. Aut illi forte hoc typo significamus, quod ei nobiscum cominus congredi non liceat. Interdum subjectivitatem pluries ponunt & velut absentem *simul*; talimodo tertiam personam pluralis adhibent ex. gr. Germani. Est ubi ne hoc quidem sufficit, nam subjectivitatem ullo pronomine exprimere non satis dignum censetur; sic sublimior & grandior quædam idea aut notio substituitur loco nudæ subjectivitatis; talia sunt: Majestas, Celsitudo, Excellentia, Eminentia. Et talia quidem in Europæ lingvis maxime adhibentur ad exprimendam dignitatem. Ulterioris autem Asiæ gentes longe aliam rationem seqvuntur. Illæ enim pronominum loco substituunt substantiva consangvineitatem simul & ætatem indicantia, magnumque virum vocant, pro differentibus gradibus dignitatis, patrem vel avunculum vel avum vel proavum vel atavum; & inferiores, filios, nepotes & pronepotes, æquales autem fratres & sorores & consobrinos; neque hoc solum contenti, minores differentias indicant adjecta voce: *maior* vel *minor natu*, uti: *major natu frater*, *minor natu soror*, & ejusmodi varia. Ita hæ lingvæ copiosissimæ sunt ad dignitatis gradus exprimendos. Hæc autem inter illos inde nata est consuetudo, quod apud semibarbaras gentes paterna imprimis valet auctoritas, & reipl. omnis constitutio quadam ratione est domestica, omnis vero dignitas & auctoritas ætate & physica quavis excellentia maxime mensuratur. Cum vero Europæ gentium longe alia sit rerumpl. constitutio, & morales & intellectuales qualitates majoris existimentur, quam robur, aut ætas, aut ea, quæ hanc

necessario sequitur, experientia *vulgaris* (quæ per se etiam modo materia quædam prudentiæ est), potius ducunt, totam hominis subjectivitatem multiplicare aut etiam velut distantem ponere.

Hæc quanquam non gravis primo aspectu res tamen sermonem multis modis affecit; hoc pacto enim in sermonem introducta est dignitatis consideratio, non circa personas tantum, verum & circa quamlibet notionem, quæ immensum quantum effecit ad purgandum sermonem & poliendum. Jam coeperunt nonnullæ voces aliis existimari sublimiores, excellentiores atque magis propriæ & decentes, & illæ quidem maxime eligi & adhiberi in conventu, & coram principibus atque magnatibus & majoribus natu, hæ vero vitari. Dignitas vocis autem *sono*, *rhythmo* & *sensu* mensurata est. Quando enim sermo aliquantum poliri coepit, monosyllabicæ voces & nimia consonantium collisione duræ aut nimia vocalium fluiditate molles ex elegantiori sermone eliminari coeperant, atque similiter sono abruptæ et rhythmo nimium inæquales; prout affectus mitigari vel emolliri vel dissimulari coeperunt, in sermone etiam quæcunque eorum umbra evitata est. Sensu autem *digna* æstimata sunt quæcunque intellectualem hominis vitam spectarunt; indigna autem, quæ sensualem aut animalem vitam, & hæc sane tanto indigniora, quanto magis specialia ejusdem expresserunt. Et si coram pluribus sermo fiebat, tum etiam illa indigna sunt habita, quæ præsentium aliquem essent læsura, imprimis si ille dignitate aut auctoritate multa esset præditus. Personarum quidem ab initio dignitas maximum valuit, adeo, ut respiceres, quem alloquerere & qua de re, sed ut sublimiorum idearum sphæra cognosci magis atque illius objecta verbis exprimi coeperunt, sublimior quædam dignitatis mensura in sermonem est inducta, & propter hanc respectus dignitatis personarum quandoque omnino sublatus. Hæc enim, quæ in intelligibilium mundo apparuere, adeo fuere sublimia, ut supra humanas omnes rationes evecta viderentur. Sic ex. gr. quando veritatis, justitiæ, virtutis, sapientiæ verus sensus natus est, horumque plena cognitio: absurdum visum est de his disserenti personarum respicere dignitatem; tum enim celsiore quadam & augustiore dignitatis lege ducebatur; sique aliquando occurrit, ut personæ dignitas non posset in sermone cum rei aut ideæ, quæ explicanda fuit, dignitate conciliari, personæ dignitas omnino posthabita est, quique hoc non fecit, serviliter & indigne verba facere visus est.

§. 25.

Ceterum personarum respectu non hoc tantum consideratum est, quem alloquereris & qua de re, verum & *qui diceret* spectatum, alia enim a principe exspectata oratio, quam servo aut puero aut quocunque subdito. Hanc rem ulterioris Asiæ gentes atque Japanenses adeo religiose exprimunt, ut princeps alio utatur primæ personæ pronomine ad suam subjectivitatem exprimendam, si cum principe loquitur, alio, si cum honorato aliquo cive, alio si cum ad-

vena aut ignoto homine, & præterea etiam secundæ personæ pronomen pro his dignitatis gradibus variet. Europæ quidem gentes primæ personæ vix aliam distinctionem agnoscunt, quam hanc, quod principes plurali numero utuntur de se loquentes, cum ceteri maxime singulari utantur. Hoc sic esse non tantum *fert*, verum & quodammodo *jubet* humanitas; homo enim adeo versus sublimiora fertur & quasi vi trahitur, ut omni spreta invidia & æmulatione, sæpe illum grandorem in alio lubenter spectet & admiretur, quo ipse orbatus sit. Sic magnates & principes tali sermonis distinctione utuntur, non sui tantum caussa ob superbiam, verum & subditorum caussa, ne eorum fallant exspectationem. Et sane personæ quidem dignitas nulla est, nisi quatenus per aliquam sublimiorem ideam sustentatur, atque ab illa dependet, & hanc sane spectant & admirantur homines imaginem perfectionum variarum in principibus & magnatibus. Ita quando hominum societas in classes coepit dividi, nascitur paullatim *distinctus quoque sermo classium* idque primum propter considerationem dignitatis. Et manifestum est, propter hanc rem sermonem multum ditari, & vocibus, formis & sententiis & tropis loqupletiorem reddi, cum de una eademque re aliter principi disserendum sit, aliter nobili, aliter civi. Neque hoc tantum, sed et diversum vitæ genus, opera & artes diversarum classium sermonis varietatem et multiplicitatem peperit. Qui enim reipl. regimini atque rebus politicis operam dedit, hunc coluit maxime sermonem, qui eo spectavit; qui vendendis mercibus, mercatorium sermonem & mercium nomina didicit atque invenit; qui agro colendo, rusticum sermonem; qui venationi, venatorium; qui equestri rei, equestrem; qui militari militarem; qui domesticis rebus domesticum; & quemadmodum quodcunque vitæ genus peculiarem quendam characterem in homine gignit & format, sic sermoni omnino pro classium differentia peculiaris suus character est in sono & accentu & in tropis; quæ res ni pernota esset, eam multis liceret exemplis illustrare.

§. 26.

Seqvuntur *artes* & *scientiæ*, quæ sermoni multis respectibus ultimam veluti manum inponunt adeo, ut perfecte formatus sit & absolutus. Quam rem antequam uberius explicamus, annotamus classium quidem & dignitatum divisionem ab initio factam secundum corporis robur, quæ antiquissima, uti videtur, potentiæ basis est, & secundum militarem virtutem, & secundum animi dotum præstantiam, & secundum opera & artes, quæ quicunque exercebat, non educatione & doctrina ad illam rem formatus, sed casu interdum & propensitate in id studium tractus. Ita per istam divisionem diversus sane usus sermonis inductus est pro classium differentia, sed tamen vagus adhuc & minus constans; artes enim nulla doctrina traditæ, sed proprio cujusvis ingenio cultæ frequentissimam subiere innovationem, & consequenter sermo, qui eis fuit adaptatus, sæpe mutatus est. Verum ut artes & scientiæ per doctrinam coli, & quæque sua coepit illu-

strari *philosophia*, tum demum sermonis usus firmari & constans reddi ejusdem consvetudo, tum certæ notiones certis vocibus designari & notionum circumscribi limites. Et hæc omnino nova in sermonem est per scientias introducta consvetudo, ut notiones ad idem genus pertinentes generico nomine designarentur, ut affinia quæcunque affinibus, ut speciebus & individuis suæ servarentur distinctiones. Porro per scientias accuratior quidam ordo in orationem est introductus, antea quidem cognitus per oratoriam artem, non tamen adeo determinatus. Cum enim oratoris principale negotium hoc esset, ut persvaderet & duceret animos: nulli alii omnino erat adstrictus ordini, quam qui ad hunc scopum assequendum requirebatur. Sed ad commovendos hominum animos scientificus vix fuit ordo necessarius, verum e contrario nonnunquam etiam perniciosus existimari jure potuit. Sed liber quidam ordo in oratione comparuit, qualis ex oratoris nascebatur ingenio & qualis auditorum captui maxime videbatur accomodatus. Scientia vero etiam sermonem suum fecit objectum, quæsivitque leges recte construendi sermonis, hasque deduxit e cogitationis necessitate, logicamque & grammaticam artem sermonis fecit moderatrices. Illa omnia, quæ in his scientiis continentur, præcepta circa sermonem enarrare, hujus quidem loci non est, has vero in multis sane lingvis permultum contulisse ad formationem sermonis, apertum quidem est, quanquam in nonnullis lingvis multo plura earum cernantur vestigia, quam aliis. Sic permulta, quæ in omni lingva spectantur, conamina ad formandam analogiam, logicæ & grammaticæ magna ex parte debentur, non tamen omnino; nam in multis, quæ novimus, analogiæ exemplis patet, quod hæc magis per illas mentis facultates, per quas postea logice & grammatica sunt inventæ atque excultæ, quam per has ipsas scientias, qua tales, excogitata sunt. Et quandoque analogia vix ab hominibus quæsita est aut inventa, sed potius ab ipsa natura formata præter ullum hominis studium. Tales sunt terminationes verborum in illis lingvis, quarum perfectissima est in hoc genere formatio. Doctis enim visum est, has plerumque in verbis effici per personalia pronomina, quatenus personas agentes aut patientes distingvunt, & per auxiliaria verba aut adverbia, quatenus distingvunt tempora, quæ utraque post longum usum adeo intime commixta sunt cum ipsius verbi essentia, ut jam haud facile determines, quænam cujuscunque verbi pars pertineat ad ipsius verbi radicem, & quæ ad suffixum pronomen, præsertim cum verisimillimum sit illa, quæ verbis suffixa fuere pronomina, jam omnino esse obsoleta nec ulli cognita.*) Jam vero quædam analogiæ *naturales*

*) In primæ personæ pronomine duo quidem elementa animadverto: alterum, ut mihi videtur, subjectivo — demonstrativum, alterum mere subjectivo — objectivum. Demonstrativum illud voco, quod vocalibus maxime literis exprimitur: *Ego, Jo, J, Jch, Jeg, Je,* quod aliter non est considerandum, quam ut simplicissima quædam vox, aut interjectio, qua homo suam præsentiam indicat, persimile illi sono, quo infantes suam præsentiam in abdito loco indicare solent, nec illi absimile, quo in aqua submersi opem flagitant. Ita, uti videtur, humanitas hoc vocali sono utitur ad subiectivitatem sua

sunt nempe quatenus similes passiones aut affectiones; similes sonos producunt; *artificiales* autem aliæ, quatenus similes notiones aut ideæ similibus sonis exprimuntur. Illud analogiæ genus in antiquissimis lingvis maxime est obvium, hoc autem in hodiernis. Illa aptitudini primi hominum generis majori ad recipiendas impressiones objectorum tribuenda est, & vitæ formam monstrat magis infantilem & patientem, hæc maturiorem monstrat facultatem cogitandi & virilem ætatem hominis sua sponte agentem. Sed ut sermo coepit per scientiam coli, naturales analogiæ plerumque sunt obolitæ, certe non amplius quæsitæ, in eorumque locum artificiales omnino succedunt, & quemadmodum res non amplius secundum externas tantum proprietates cognoscuntur & percipiuntur, verum secundum multas qualitates sensibus non obvias, sic hoc etiam observatur in rerum nominibus, in quibus idealis jam semper quæritur analogia & aptitudo.

Talimodo apertum est, per scientias vitalem quandam vim in lingva, si non omnino suppressam, saltem multum esse debilitatam, & per illas id, quod fuit in sermone plasticum, magna ex parte exstinctum esse. Sed ab altera parte considerandum, quod scientiæ sermonem ditaverunt novo vocum thesauro; nam idealia quæcunque, quorum cognitionem primum, ut §. 23 dictum est, per religionem suscitatam existimamus, propter scientiarum culturam sua nomina imprimis sortita sunt.

§. 27.

Formati jam & exculti sermonis itaque tria potissimum sunt genera: *poeticum*, *oratorium*, *scientificum*. Poeticum quidem antiquissimum & vitæ usui proximum, maximeque varium. Oratorium, civilis vitæ usum maxime spectans, non varietate adeo insigne, uti perspicuitate, robore, elegantia, decentia. Scientificus autem sermo, per se omnium minime perfectus & excultus, tamen solus altiorem hominis destinationem indicat ultra hujus vitæ terminos prospicientem. Hic, inquam, imperfectissimus est variis de caussis: quia cum homo in formando sermonis genere poetico natura imprimis duceretur, in formando scientifico sermone proprii ingenii viribus maxime ducitur: qvia artificiosæ dictioni studere ab-

---

indicandam & sustinendam. Hac voce veluti emergit ex oceano existentiæ. "*Ecce ego sum*" est illa sententia, quæ in hoc pronomine condita est. *Subjectivo - objectivum* voco illud primæ personæ pronomen, quo homo *se ponit* relatione cujusdam alterius, in quo plerumque præter vocalem deprehendimus literam *m*: hoc nempe plasticum est, ut clausis labris, quasi conclusa existentia sua indicat objectivitatem subjectivitatis. Talis mihi videtur sensus naturalis vocum *me, mich, mig, moi.* Per hoc pronomen homo velut terminat existentiam alterius, & illa sententia, quæ sub illo latet, est: "*Ecce me inter alios.*" Hactenus itaque agnoscimus primitivorum pronominum elementa etiam in hodiernis lingvis. Illa vero in singulis formis verborum persequi lubricum sane est, quanquam haud paucæ verborum formæ secundum hæc, quæ jam proposuimus, explanari possunt. Notandum tamen est, quando nos de alicujus vocis naturali sensu disserimus, hoc semper esse accipiendum de ipso vocis elemento, quod vix unquam nisi una quadam litera in hodiernis lingvis servatur.

surdum foret illi, cui veritas imprimis cordi est; omnes enim alii respectus tolluntur & evanescunt præ studio veritatis: quia in scientifico sermone quoddam est novi sermonis inchoamentum & rudimentum, quod alii vix adhuc inchoatæ vitæ adaptatum est.

Cernimus itaque in sermone ut in quocunque alio objecto solitum naturæ progressum per formarum varietatem, & a multitudine recessum ad formam organicam, & in perfecta forma organica novæ generationis principium.

Caput III.

De perfectione sermonis.

§. 28.

Sequitur ut, in quo sermonis consistat perfectio, paucis dispiciamus. Apertum autem est, hanc perfectionem poeticum & oratorium sermonis genus maxime spectare, quantum vero ad scientificum sermonem attinet, possibilitatem spectat & aptitudinem, non vero ipsius efformationem.

Et sermonis quidem perfectio scientiæ respectu omnis formalis est, ipsius autem sermonis respectu ex parte formalis, ex parte autem materialis. Formalis illa est perfectio, quæ in *sono* observatur; materialis autem illa, quæ in *organisatione vocum* & *sententiarum atque constructione.*

§. 29.

Nonnulli existimavere, nullam esse lingvæ perfectionem absolutam, neque quoad sonum, neque quoad organismum; sed consvetudine fieri, ut cuicunque genti videatur pulcherrimum id, quod apud illam in usu est, & aptissimum quoque ad omnes notiones exprimendas. Quæ res si sic haberet, nulla omnino foret hoc respectu Græci & Groenlandici sermonis differentia, neque Arabici & Sinesensis, quod tamen absurdum esse vel primo aspectu patet. Nam si peregrini sermonis ignorantia sæpe fit, ut illius concinnitatem non statim sentiamus, & ut vernaculi sonum, cui aures assuetæ sunt, jucundiorem existimemus, hinc certe non sequitur, ut lingvæ sono nulla insit *absoluta svavitas per se perceptibilis.* Verum sermo vernaculus sæpe alia nos rapit dulcedine, & quidem potentiore, quam *illa soni* dulcedine. Nam per hunc vel illum sermonem multis modis sæpe affectum esse, multa jucunda & injucunda, svavia, terribilia, in illo audivisse, hoc animum arcte ligat, & quandam, partim *amatoriam* partim *servilem*, gignit consuetudinem. Sed vix ullus est Germanorum, qui sonum linguæ gallicæ atque italicæ non judicet svaviorem, quam sui idiomatis, quanquam forte multas alias laudet sui sermonis præstantias. Verum tenendum est, quod in hujus disquisitionis principio proposuimus: *quodlibet elementum literale, tam vocale, quam consonans, esse expressionem passionis aut affectionis alicujus simplicis cha-*

racteristicam. Harum autem affectionum aliæ aliis sunt nobiliores, suaviores, elegantiores, & similiter se habent earum expressiones literales; in unaquaque autem gente aliquod est inprimis dominans affectionum genus; hinc fit, ut certa quædam elementa literarum frequentissime recurrunt in illius sermone, quæ sane hanc dominantem affectionem exprimunt; hujus itaque affectionis qualitas constituit sermonis characterem atque dignitatis gradum in sono obvium.

§. 30.

Primam itaque perfectionem lingvæ, sonum spectantes, in hoc ponimus: *ut elementorum sufficiens adsit numerus.* In efformatis, quas novimus, lingvis literarum elementa plerumque sunt plus quam viginti, sed vix unquam ultra triginta excedunt simplicia, & intra hunc numerum videntur contineri humanæ vocis elementa naturalia. *) Quæ lingvæ pauciora elementa habent, in hoc peccant: quod videntur apud illam gentem illi desiderari vitæ modi, quorum desiderata litera characteristica est; peccant etiam eo, quod necessarium est, ut in tali lingva repetitiones freqventiores ejusdem elementi aures offendant; etiam illo, quod sæpe non possunt suum sermonem ditare per voces aliunde receptas ab exteris, quando harum vocum elementa desunt. Ejusmodi defectus varios memorat Adelung in lingva Sinesensium & ulterioris Asiæ gentium, earumque, quæ australes insulas oceani indici inhabitant; similiter in lingvis variis Americanorum. Hoc nomine admodum efformata est lingva Græca & Arabica imo & Armenica & pleræque Europæ lingvæ, quarum jam maxime Gothicus est character; & hoc modo per ipsam lingvam declaratur, istas gentes multo plures vitæ vicissitudines subiisse; & magis multifarias energias vitales in illis esse suscitatas.

§. 31.

Illa soni secunda præstantia est: *ut nullum sit neque vocalicum neque consonans elementum, quod aures offendat nimia freqventia.* Quædam enim idiomata quosdam sonos adeo vehementer sectantur, vel potius iisdem infestantur, ut eo tollatur omnis æqualitatis & varietatis proportio. Sic ex. gr. apertum est, literam *o* multo freqventius recurrere in lingva italica atque hispanica , quam latina vel græca. Multum tamen interest, quænam illa litera sit, quæ sic frequentius repetitur. Namque multo magis lædit aures *k* Groenlandorum & variarum barbararum gentium, quæ idem elementum nimis freqvens patiuntur, quam *o* Italorum. Sed tamen omnis nimia frequentia offendit, monstrat enim illam

*) Barbararum lingvarum certe plura memorant elementa viri docti, quanquam in his variâ desiderentur, quæ inter nos in usu sunt. Sic apud quandam Americæ gentem literam, quæ sonet inter l. & r. usurpari memorant, & plura sunt ejusmodi. Nam gutturalia in primis elementa multifaria sunt; apertum enim est, eo creari differentiam soni, si vocis obstaculum altius aut profundius in gutture formetur. Hæc autem diversitas, quæ inde gignitur, nova quidem non creat elementa, sed modo ejusdem elementi modos varios.

gentem, cujus lingva sic affecta est, peculiari cuidam affectioni obnoxiam fuisse, unde natus est lingvæ nimis unicolor character.*) Tum sane aptissima lingva est ad omnem vitæ usum, quando nullius passionis species prævalet in ipsis lingvæ elementis, tum enim erit facillimum illi, qui tali lingva utitur, sic orationem informare & sic voces eligere, ut illum aptissime exprimat statum animi, qui illi inest in quocunque momento. Si vero aliquod elementum propter sermonis constructionem originariam omni fere momento recurrit, orationis turbatur vis & effectus, cum alia inducatur passionis species, quam illa, quæ exprimenda est. Quamquam nos vocalis *o* nimiam frequentiam annotaverimus in lingva italica, laudant tamen critici itali suæ lingvæ aptitudinem hoc respectu, quod ita sit formata, ut per illam liceat omnem varietatem passionum exprimere & quemlibet affectionum colorem sono veluti depingere. Hujusmodi exemplum adducit Crescembeni e primo Petrarchæ sonnetto:

Voi che ascoltate in rime sparse il suono
Di qvei sospiri onde io nudriva il cuore.

Hoc loco nempe dicit grandia a depressis & humilibus egregrie esse distincta per ipsum sonum vocalium. Vocales nempe *a*, *o*, *u*, secundum Italos solemnia exprimunt & grandia, quæ bene conveniunt incipientis operis dignitati, quæ hic depingitur in vocibus "*ascoltate*" "*sparse*" "*suono*", sed materiei recordatio auctorem deprimit humilemque reddit, cum juvenilium passionum nimiam vim confiteri cogatur, & hunc mentis statum exprimit vocibus "*sospiri*" "*io*" "*nudriva*". Horum tamen vis forte ab ipsis Italis, quam ullo alio, melius sentitur & agnoscitur. Nos tamen non negamus, nos in sequentibus Dantinis versibus ad sanctam virginem, & quamcunque aliam invenisse amoenitatem & perfectionem, & præterea etiam hanc:

"Vergine madre figlia del tuo figlio
Humile ed alta piu che creatura."

§. 32.

Quædam vero elementa vocis per se ignobilia sunt; quædam enim etiam alphabeti plebs est & quidam sunt proceres. Hinc nascitur tertia perfectio soni in eo consistens: *ut talium elementorum quam ceterorum vel minus frequens sit recursus.* Ejusmodi elementum est litera *k*, & variæ gutturales, nec non compositiones diversæ consonantium. Hæc uti quæcunque alia res in excessibus maxime innotescit. Triplex autem ratio est, cur quædam literæ ignobiliores sint, partim quia ab origine ignobiliores affectiones indicant, vel cum contemti alicujus animalis voce quandam habent similitudinem; vel, quod omnium pessimum est, literæ sonus impurus & raucus est, uti variarum gutturalium adeo, ut collisorum saxorum sonitui nonnunquam haud absimilis sit. Gutturalium arabicarum sonum exscreantis referre affirmarunt viri docti. Perfectio haud tamen consistit in eo, ut talia elementa omnino absint; nam in repl. elementorum lite-

*) O, Italorum quandam esse perditæ gloriæ perpetuam elegiam philomelæ planctui similem non negamus.

ralium cuivis civi suus dignitatis locus est, culpatur tantum nimia eorum frequentia; uti in voce groenlandica: *erkiksini-karkudluta* injucundissima est literæ *k* tam frequens repetitio, nec non in eadem voce variæ junctiones consonantium. Huc quoque referendum est *m* latinorum, quod Quinctilianus *mugiens* vocat.

§. 33.

Quarta quoque est negativa perfectio soni: *ut illa, quæ valde difficilia sint atque dura ad pronuntiandum, absint, vel saltem sint infrequentia.* Quicquid enim ad pronuntiandum difficile, non potest nisi organorum distortione formari, sed organorum distorsio aut ab affectatione aut a passionum vehementia proficiscitur; ingenua & liberalis hominis natura itaque omnes ejusmodi sonos fugit & repudiat. In græca certe & latina lingva non deprehenduntur, sed magna eorum copia occurrit in lingva Celtica &, uti videtur, in lingvis Slavonicis, quantum e scriptis eorum vocabulis conjectare licet; celticæ autem lingvæ *ll*, inprimis in principio vocis, vix ullus est exterorum, qui pronuntiare possit; illud enim proferunt ut th anglicum sequente l, ita vox *Llangollen* proferenda est *Thlangothlen*, & ejusmodi habent sonos varios. Sed tamen ut in universum injucundorum sonorum suus usus est, sic etiam durorum & difficilium quidam est, modo freqventes non sint. Isti soni in sermone id fere sunt, quod in arte statuaria est græcus Laocoon, vehementiam tam activam quam passivam egregie exprimentes.

§. 34.

Hoc quoque sonum spectat: quod vocum quædam est naturalis & aptissima mensura sive longitudo. Monosyllabæ voces abruptæ sunt, eoque lædunt, & quæ sextam vel septimam syllabam excedunt, quas sesquipedales vocarunt Romani, nimia longitudine fatigant. Hinc quinta perfectio: *proportionem sistens* & *aptam vocum longitudinem.* Monosyllabicarum lingvarum multa incommoda & injucunda alio loco notavimus, & nuper e groenlandica attulimus exemplum longitudine & sono æque offendens. Sed omnium lingvarum, quarum jam perfecta & concinnata forma est, aptitudinem & proportionem jure laudare possumus hoc respectu, si forte anglicam excipiamus monosyllabis, ut nobis saltem videtur, justo magis scatentem, indeque duriorem aliquando & hirsutiorem. *Cujuscunque vocis naturalis radix una* syllaba continetur, & secundum naturam fit, ut vocis affectiones variæ alia vel afformata vel suffixa syllaba indicentur; ita aptissimum est, ut plurimæ voces sint disyllabæ vel trisyllabæ, quem numerum etiam in græca lingva atque latina & plerisque gothogermanicis frequentissimum deprehendimus. Monosyllabæ secundum naturam sunt voces, quæ simplicem quandam ideam aut notionem denotant, cujusmodi sunt conjunctiones & præpositiones simplices & quædam substantiva. Magna saepe est vis monosyllabarum, sed in multa earum copia deest svavitas.

§. 35.

Sed summa & maxima soni perfectio *in accentu est posita*, quam tamen accurate describere impossibile est; facilius autem, negativa huc spectantia indigitare, eamque in concreto monstrare jucunditatem & injucunditatem, quæ omnibus est obvia. Sic, credo, vix ullus homo adeo est rusticus sive russicus, ut Russorum accentum æque jucundum existimet atque Italorum, qui rusticorum borealium accentu æque delectetur, atque eorum, qui in urbibus degunt Gallorum vel Hispanorum. Hoc autem quid sit, quod in illins accentu injucundum sit et in hujus gratum & svave, docere difficillimum est. His certe quidam inest vitalis spiritus, qui illis negatus videtur aut magna ex parte suppressus, & hoc accentu proditur. Altior quidam humanitatis sensus illis inest, & hoc manifestatur tam uniuerso corporis habitu, quam in specie voce & accentu; horum autem cuncta vis & energia vix videtur ultra animalis vitæ fines tendere & hæc mentis constitutio eorum habitu & voce & accentu prodi. Curvi stant & incedunt, & in sermone quædam apparet somnolentia, qua vocis articulatio ex parte tollitur. Vix enim habent determinatas consonantes, imo nec vocales, sed quæcunque vocalis videtur apud illos e variorum sonorum vocalium natura nonnihil participaie, adeo mixta est & indeterminata. Cum vero organorum laxa & crassa omnino tensio sit, æque indeterminatæ sunt consonantes, præsertim cum nec certa efflati & resorpti spiritus directio sit adeo, ut literæ *b* & *p* & *v* & *f* facile confundantur. Notandum tamen est, non gentem quidem a gente hoc nomine distingui, sed in qualibet gente ingenuum & bene educatum a rustico & serviente.

§. 36.

Hoc quoque grave est, si amoenitatem lingvæ spectas, quomodo constitutæ sint syllabæ, quæ se invicem in serie seqvuntur. Auctor anglicus memoravit: *) syllabarum seriem, quæ eadem oris apertura proferatur, lenem & gracilem sonum producere, & exempli loco affert voces gallicas "dit-il," "pathetique": e contrario, si minimam oris aperturam sequatur maxima, vel vice versa, admodum injucundum gigni sonum affirmat, quem *hiatum* vocat. Sed jucundissimam esse seriem asserit, si oris apertura alternatim modice dilatetur atque angustetur, ut in vocibus anglicis: *"alternative, longevity, pusillanimous.* In serie syllabarum, meris brevibus aut meris longis consistente, negat harmoniam esse, sed ubi longæ brevibus intermiscentur, gratum fore sonum affirmat. Sed quædam lingvæ latas & apertas vocales deamant ut sviogothica, aliæ tenues et exiles, uti vulgaris danica, quod nimiam gignit soni uniformitatem. Tum enim jucundissimus sermo est, quando nulla elementaris qualitas aut constitutio nimis videtur prævalere.

---

*) Vid. Encyclop. Britann. sub art. "Language."

§. 37.

Magis materialis illa est sermonis perfectio, quæ periodorum sive sententiarum sonum spectat, quæ jubet a minoribus ad majora, non per minutos, sed magnos gradus ascendere; nam nisi hoc observatur, graduum non apparet differentia, opposita autem ratione gignitur series periodorum ludicra. Hujus perfectionis hoc e Cicerone exemplum solet afferri:

Quicum quæstor fueram,
Quicum me sors consvetudoque majorum,
Quicum me deorum hominumque judicium conjunxerat,

Et hoc:

Habet honorem, quem petimus,
Habet spem, quam præpositam nobis habemus,
Habet existimationem multo sudore, labore, vigiliis collectam.

quas periodos, in utraque serie, si talimodo invertimus, ut primum membrum postremum fiat, quamquam apparet, hanc inversionem omnino nil efficere quoad materiam sententiæ; certe gravissimum & potentissimum hoc Ciceronis dictum deridiculum fit. Adeo, ut si Cicero sic informasset orationem:

Quicum me deorum hominumque judicium conjunxerat,
Quicum me sors consvetudoque majorum,
Quicum quæstor fueram,

omnino nugas agere visus fuisset, illis ipsis sauditoribus, qui hunc sermonem, uti a summo oratore enunciatus est, ob vigorem & fervorem magnopere admirati sunt. Hoc autem adduximus exemplum, quum adeo aptum sit ad illustrandam illam vim, quæ ordini & dispositioni sermonis inest, ne quis hæc, quæ formalia sane sunt, levia judicaret in dicendo aut in cultura sermonis. Dignum quoque hoc est, quod observetur, quod in hac serie non membra tantum crescunt periodi cum sono, vigore & materiei gravitate, sed quoque singularum vocum crescit longitudo. Disyllabis — *quicum* — *quæstor* — primum membrum formatur, in secundo longior vox *consvetudo* orationi pondus addit & vim, in tertia tres tales voces: *hominumque*, *judicium*, *conjunxerat* periodi plenam mensuram cumulant, Si autem cuidam dubium remanet, an hæc vis dispositioni atque soni incremento adscribenda sit; modo rogamus, ut cogitet quandam aliam seriem vocum, sensu carentium, quæ simili pacto sunt dispositæ, & statim comperiet orationis vim specie saltem crescere.

§. 38.

Illa autem est *materialis lingvæ perfectio* (quoad ipsam lingvam considerata), quæ ab ipsa lingvæ *structura* pendet. Per structuram autem designamus organismum lingvæ grammaticum; ille autem sese in hoc manifestat: quomodo notiones simplices per voces depingantur & qualis vocum forma

& solita sit junctio. Sic ex. gr. quædam lingvæ adjectivum plerumque præponunt substantivo, aliis inversus placet ordo; quædam personam jungunt verbo, ita ut persona & verbum eadem voce enuncietur & tempus indicant syllabicis differentiis, aliæ ipsum verbum & personam & tempus & modum separatis vocibus exhibent. Similis quoque est nominum ratio, quædam enim ipsum nomen ejusque relationes ad alias notiones una eademque voce enunciant, aliæ has relationes denotant separatis vocibus. Et in hoc quidem apparet structuræ differentia. Ceterum quidam orationi naturalis ordo est, quidam autem artificialis, qui naturæ non sequitur leges simplices. Hic autem est & vocatur ordo orationis naturalis, qui a subjecto incipit, subjecto jungit prædicatum & postremum ponit objectum, ut in hac fit propositione: "Alexander amavit Helenam." Si autem dicimus *Helenam amavit Alexander*, aut *Alexander Helenam amavit*, aut *amavit Helenam Alexander*, aut *amavit Alexander Helenam*, aut *Helenam Alexander amavit*, quamquam hoc latine æque facile dici potest, tum ordo certe non est naturalis, sed artificialis, & cum propositionis membra in alium locum transponantur, hic vocatur ordo transpositivus a grammaticis. Illæ autem lingvæ, quæ verbum & tempus & personam una voce junctim enunciant, hanc transpositionem & patiuntur & usurpant; sed hæ, quæ separatis vocibus nomina & verba notionesque illis relatas proferunt, naturalem ordinem maxime servant & servare coguntur. Secundum hanc qualitatem duæ apparent distinctæ familiæ lingvarum, quarum unam *transpositivam*, alteram *analogam* nonnulli vocarunt grammatici. Analoga autem hæc familia vocatur, quod ordo orationis sequitur cogitationis analogiam. Omnium, quas novimus, lingvarum *latina* maxime *transpositiva* est, quanquam enim illæ gentes, quas romana arma subegerunt, quæque romanis deinde literis sunt excultæ, romanam sæpe dictionem suis vernaculis imitari studuere, & talimodo romani sermonis habitus in germanicam lingvam inprimis atque hispanicam introductus est; tamen vix possunt istæ lingvæ transpositivæ vocari, cum peregrinus hic usus nunquam omnino possit cum originario lingvæ spiritu conciliari. Græca autem lingva transponendi quoque magna gaudet facultate, hac autem multo minus usi sunt præstantissimi auctores Græcorum, quam Romani. Serioris ætatis Græci ad romanum magis usum deflexerunt. Gothicæ autem lingvæ omnes *analogæ* sunt. Illæ vero lingvæ, quæ jam in usu sunt per totam Europam, modo Russiam, orientalem Germaniam, montes Caledoniæ, Hiberniæ, Britanniæ & Pyrenæos excipias, gothicum habent characterem; quamquam transponendi usus Romanorum plus vel minus in varias sit invectus cum romanis literis & artibus. In hodierna tamen lingva italica minime fere apparet. Adeo vel hodie in ipsa lingva servatur vestigium sedis imperii gothici. Sed inter omnes analogas lingvas britannica, uti temporum, casuum, modorum distinctionibus maxime est destituta, ita & analogiam cogitationis in oratione optime servat.

§. 39.

Jam verò de hoc multa est dubitatio: *transpositivæ* an *analogæ* lingvæ aptiores sint ad omnia cogitata & sensa hominum exprimenda. Angli certe sibi hoc nomine palmam deberi postulant, quanquam non negant dignitatem & gravitatem & soni majorem vim Romanos seqvi. Sed perspicuitatem & distinctionem multo majorem suæ lingvæ inesse contendunt & hoc afferunt documentum: Cum eadem notio, quæ latine una voce exprimi solet, anglice tribus vel quatuor exprimatur, affirmant, sibi multo majorem esse facultatem notionis minutas differentias exprimendi, qvam Romanis; partim qvod tria habeant loca distincta, quibus addant emphasin per tonum, partim quod liceat tres voces diversis locis ponere, & sic variare sententiam. Hoc anglice differt, utrum dicam:

I do write, an
I *do* write, an
I do *write*,

ɔ: utrum in hoc verbo personam, an auxiliare, an ipsum verbum cum emphasi pronuntiem. Hæ autem differentiæ in latina voce *scribo* haud comparent. Sed anglice quoque possunt allatæ propositionis ordinem ita invertere, ut auxiliare vel verbum primum ponatur, & simul accentu variare sententiam, & talimodo ejusdem verbi sequentes nanciscuntur varietates:

Do I write,
Do *I* write,
Do I *write*,
Write I do,
Write *I* do,
Write I *do*,
Write do I,
Write *do* I.
Write do *I*,

& multo plures quidem variationes afferunt. Hæc autem sufficiunt ad monstrandum, quod solam latinam vocem *scribo* multis modis possunt exprimere, & talimodo notionis varietatem indicare, quæ latine haud æque facile exprimi potest. Quod autem in hoc verbo exempli caussa observatum est, in quocunque alio verbo observari potest. Exemplis haud opus est ad monstrandum, quod in nominibus quoque multo plures exprimi possunt varietates notionum per præpositiones, separatas ab ipso nomine, quam per casus, ipsi nomini inhærentes.

§. 40.

Sed in sermone anglico limitata admodum est transponendi agilitas, imo fere nulla est. Illa, quam prius attulimus propositio, *Alexander amavit Helenam*, quæ ut (§. 38) vidimus quinque modis transponi potest sine ullo perspicuitatis detrimento, anglice vix aliter dici potest quam simpliciter sic: *Alexander loved Helena;* forte poeta aliquando

minus solita & nonnihil intorta dictione utens, posset dicere: *Alexander Helena loved*. Plures certe transpositiones hujus sententiæ non patitur idioma anglicum; nam si sic invertimus: *Helena loved Alexander*, sensus qvoque omnino invertitur, cum objectivi & subjectivi casus nulla sit distinctio. Qvodque in hoc respectu anglico sermoni accidit, ceteris qvoque accidit plurimis lingvis gothicis ex. gr. danicæ. Recte enim modo dicere possumus: *Alexander elskede Helena*, nam *Helena elskede Alexander* sensum invertit; qvæ vero gothicæ lingvæ casus habent distinctos subjectivos & objectivos, uti islandica, pluribus certe possunt hanc propositionem enuntiare rationibus. *Alexander elskadi Helenu* etiam recte sic dicitur *Helenu elskadi Alexander*, et tum omnino illæsus & immutatus servatur sensus.

§. 41.

Transponendi autem facultas, qvanqvam in lingvæ perfectionibus numerari meretur, modo relativa qvædam est perfectio, & magis ad soni elegantiam & periodorum rotunditatem confert qvam ad perspicuitatem aut vim aut energiam sermonis, imo illi qvandoque obest, ni cum sollicita cautione adhibetur & his certe nocet perspicuitatem lædendo. Sed cum in lingvis, quæ transpositionem patiuntur, vocis significatio non pendeat a loco, qvem occupat in periodo, potest is, qvi tali sermone utitur, soni harmoniæ magis consulere; harmonia autem efficitur per soni incrementum & hinc factum est, qvod Latini verba tam freqventer ponant in fine periodorum, non qvia verba sint, hoc enim foret absurdum cum prædicati naturalis locus sit statim post subjectum, sed qvia verba apud Latinos, per accidens, longiores plerumque voces efficiunt, qvam rem certe non reputarunt illi, qvi in lingvas, qvæ omnino contraria ratione sunt formatæ, latinorum consuetudinem inducere studuere, qvasi in hoc ulla lateret elegantia: verbo in periodo ultimum locum assignare, etiam tum, qvando verbum non esset sono plenum & ponderosum.

Illa autem idiomata, qvæ *analoga* nuncupavimus, perspicuitatis semper palmam ferunt, & ea de caussa erunt non qvidem ad qvemcunque vitæ usum, sed ad plerosqué usus aptiora. Hoc enim: qvamlibet vocem in illo loco deprehendere, ubi eam exspectaveris legens sive audiens, orationem *reddit* mire facilem & jucundam. Ex antecedentibus autem patet accentus esse in his lingvis multo efficaciorem vim & discriminationem, cum in sejunctis vocibus multo facilius exprimatur & percipiatur. (cfr. §. 39.)

§. 42.

Hæc qvoque vere materialis est perfectio: *ut lingvæ qvidam sit character*, i. e. talis peculiaritas in forma, structura, toto habitu, quæ illam distingvat a qvocunque alio idiomate. Sed peculiaritatum, qvæ orationem coercent & mentis facultates limitant, nulla laus est. Lingvarum uti hominum boni itaque characteres sunt atque mali, amabiles & exosi. Lingvæ autem character gignitur e physico & po-

litico vitæ genere nationum; montanis enim gentibus duræ dialectus sunt, maritimis vocales; qvi sub tyrannide victitant servili utuntur sermone, qvi in civitate aristocratica summas res ad publicam consultationem solent deferre, libero utuntur sermone & nobili, ut Romani. Gignitur præterea & formatur hic character ab artium & scientiarum studio peculiari, qvod apud hanc vel illam gentem inprimis in usu est, & a morali constitutione gentium; elatus enim spiritus Hispanorum in ipso sermone manifestatur, & gravitas Arabum & Persarum, & lepores Gallorum & jucunditatis & elegantiæ studium.

§. 43.

Talis autem omnino culpandus foret lingvæ character, qvi alicui obstaret perfectioni aut limitaret progressum scientiæ, qvi ex. gr. novas voces aut vocum formas haud facile pateretur, qvam rem gallico sermoni plures docti vitio verterunt. Hoc enim omnino perfectionibus annumerandum est, *ut lingva apta sit ad novas formas suscipiendas*, atque scientiarum progressum pari passu conseqvatur.

Tum autem lingva maxime laudanda est, qvando novam qvamque vocem ex indigena materia & qvasi proprio metallo formare potest, qvo nomine græca princeps habetur. Hoc enim magni momenti est, ut qvamcunque vocem viva & clara notio seqvatur, qvod certe tum maxime fit, qvando vocis tota derivatio ex indigeno fonte hauritur. Nam si multæ voces aliunde desumuntur, freqvens oritur idearum confusio apud illos, qvi vocis radicem non cognoscunt. Sic ex. gr. plebs Anglorum vocem *necessity* saepe profert *need-cessity*, autumantes vocem derivari ab indigena *need*, qvæ idem significat.

§. 44.

De Synonymis autem pervaria est doctorum opinio. Multi eorum copiam vitiosam judicaverunt. His adstipulatur Herderus; & poeta Arabs, cum qvadringenta fere vocabula arabica enumerasset, *miseriem* significantia, dixit qvadringentesimam esse ærumnam omnia recitare ærumnarum *nomina*. Hancce synonymorum multitudinem Philosophi culpant eo, qvod voces rentur ab uno qvodam proficisci debere principio, qvod certum qvoddam & determinatum indicare, qvod ambiguitatem notionum præcludere; notionum eam statuentes immutatam limitationem, qvæ certe nulla est. Profecto tamen qvoddam est formationis principium, sed in omni lingva complicatum est & multis modis affectum, pro climate, pro victu, pro politicis, domesticis, moralibus, consvetudinariis rationibus varium, id qvod jam idiomatum multitudine per se satis probatum est. Gentium autem affectiones apparent in multitudine lingvarum, singulorum hominum in multitudine synonymorum ejusdem idiomatis. Liceat igitur Arabibus centum, imo sexcentis, gaudere nominibus gladii, eqvi, serpentis: communis certe qvædam est harum rerum conceptio, communis & denominatio. Sed tamen hic Arabs, in hac regione situs, in hoc momento hoc

pathemate affectus; aliter videt & sentit eandem rem, qvam ille Arabs, in illa regione, in illo momento, et sic porro, imo ipse videt & sentit aliter in hoc momento quam in alio. Servat itaque & perpetuam reddit hanc sensationem novo adjecto rei nomine. Gladius ex. gr. si forte hostis caput divisit, postea nuncupatur *fissor craniorum* i. e. quando homo similem rationem sentiendi regenerare cupit; & ejusmodi multa sunt. Hæc itaque copia synonymorum consideranda est uti magnum quoddam notionum & sensationum coemeterium, ex quo tamen licet futuris Magis, & non Magis, suscitare quemcunque velint mortuum, prout svaserit occasio. Synonyma igitur omnino in perfectionibus sermonis numeramus, nam synonyma tantum sunt communis notionis & nominis respectu, i. e. quatenus eandem notionem communem significant, omnino autem synonymum i. e. ab omni parte synonymum, nullum est par synonymorum, nam varietatem quandam communis notionis denotant. Certe tamen promiscue usurpantur, partim propter auctorum negligentiam, partim quia soni varietate delectantur, vel ob aliam quandam ejusmodi minoris momenti causam.

§. 45.

Quarundam lingvarum formæ fundamentales omnino vitiosæ sunt, nam humanæ rationis evolutioni & maturitati facultatum obstare videntur. Exemplo sit lingva Caraibum, in qua virorum & mulierum omnino diversus sermo est adeo, ut luna, sol, arcus, lectus alio nomine a viro salutetur quam muliere. In lingva Huronum ad animatas & inanimatas res diversa verba adhibentur; ita lapidem videre & hominem videre diverso verbo exprimitur. Apertum itaque est, notiones maxime generales inepte in classes distribui in his idiomatibus, unde non potest non maximum oriri cogitantium & loquentium incommodum. Peruanorum lingva quædam est, in qua frater sororem aliter nuncupat, quam soror sororem, & sic in hac quoque lingva sexuum nullum est in sermone commune bonum; pluralis autem numerus deest. Hujusmodi exempla, quæ inter barbaros haud pauca sunt, ineptam quandam cogitationis & sentiendi directionem originariam videntur indicare. Gravem itaque hanc, sed negativam, lingvæ perfectionem dicimus: *ut nulla ejusmodi sit notionum inepta classificatio & totius sermonis incommoda formatio.*

§. 46.

Sed in hujusce vastissimi objecti contemplatione gravissima res est *deformatio* sive *barbarismus;* hoc autem dico deformationem sermonis, quando aliquod idioma, relicta formationis via, quam ab origine ingressum est, propter extraneam aut adventitiam aliquam causam novum quendam ingrediebatur tramitem & aliud adscivit formationis principium, quod ex. gr. latinæ lingvæ accidit propter invasionem Gothorum, quod aliqua ex parte persicæ propter incursiones Arabum & introductionem Islamismi, quod aliquatenus

etiam turcicæ propter eandem caussam. Politicæ quidem revolutiones graves caussæ sunt barbarismorum, haud tamen solæ sunt; nam si peculiare aliquod vitæ genus apud hanc vel illam gentem prævaluit, ut ex. gr. militare, venatorium, pastorale, rusticum, imo si peculiaris quædam ars apud hanc vel illam gentem præcipue est exculta, sermo inde novam formam & characterem nactus est & vocum copiam prævalenti huic vitæ generi aut artium studio adaptatam.

Hæc indagare, hæc persequi in variis formis lingvarum, arduum quidem foret multis de caussis, nec effici posset, nisi ab aliquo haud vulgari doctrina instructo. Nos certe sentimus, quam immensum nobis desit ad tale quid moliendum. Prospicimus tamen hic in amplum & amoenum campum scientiæ, qui aliquando humani generis historiæ valde sit profuturus, qui nulli scientiæ aut cognitioni non sit aliqua ex parte utilis, qui, quando cognitus erit, humanarum cognitionum nexum multis in locis sit monstraturus. Sed hæc forte via, similis illi polari, glacie adeo impedita est & æterna nocte adumbrata, ut desperandum sit, ut unquam reddatur permeabilis.